DIALOGI
AB EVSEBIO PHILADELPHO COSMOPOLITA IN GALLORVM ET CÆTERARVM NATIONUM gratiam compositi, quorum primus ab ipso auctore recognitus & auctus: alter verò in lucem nunc primum editus fuit.

***

EDIMBVRGI,
Ex Typographia Iacobi Iamai.
1574.

7.C.
63

DIALOGI

AB EVSEBIO PHI-
LADELPHO COSMO-
POLITA IN GALLORVM
ET QVATTARVM NATIO-
num gratiam compositi, quorum pri-
mus ab ipso auctore recognitus &
auctus: alter vero in lucem
nunc primum edi-
tus fuit.

* * *

EDIMBVRGI,

TYPOGRAPHVS LECTORI

En tibi candide Lector, duos quos Eusebius Philadelphus conscripsit Dialogos. Reperies post illa quam præmisit ad Polonos Epistolam, literas ad Ducẽ Guisium à Nobile quodam illi addictissimo scriptas. Hinc coniicies quo in statu Gallorum Respub. versetur. Quod si binos perlegeris Dialogos omnino quid de illa sperandũ sit videbis: tyrannorũ simul Cabalisticas & perfidiosas reperies artes: tum quibus illis obsistendũ sit remediis. Principũ item vis & imperiũ quousq; porrigatur agnosces. Cuius etiã sint partes principis ne an subditorũ (si inter illos ad arma ventũ sit) arma prius ponere. Postremò de Tyrannide, deq; Tyrannorũ mancipiis, & eorum misero exitu non pauca inuenies. Eos verò demum non pro Regibus, sed pro Tyrannis habendos esse, qui non tantum veram religionem, & publicas leges, sed etiam omnia societatis humanę iura, libidine & sæuitia opprimunt.

Quamobrō bene Vale, & Autorē nostrū non minus Tyrannorū inimicum, quam optimorum Regum & Christianorum Principum obseruantissimum cultorem existima.

Ordini

ORDINIBVS, PRINCIPIBVS, Proceribus, Baronibus, Nobilibus, ac populo Poloniæ Eusebius Philadelphus Cosmopolitanus salutem ac perpetuam fœlicitatem exoptat.

Francogalli, illustrissimi Principes, magnanimi proceres, inclyti nobiles, ac generose populi, vobis tot tantisque nominibus obstricti & diuincti sunt, ego verò illis tam fidus tamque certus sum amicus, vt meo me muneri defuturum existimarem, nisi honesto aliquo officii genere. meam erga illos beneuolentiam, sincerúmque erga Reip. vestræ tranquillitatem & amplificationem animum indicarem: His ego rationibus impulsus cum duobus dialogis præteritarum & presentium calamitatum Francogalliæ summam verè conscriptam delineassem, volui equidem, quo meum hacce erga vtramque nationem studium testarer, nihilque præ manibus presenti tempori magis congruum & accommodum haberem eam vobis offerre ac dicare, vobis inquam præcipuis ac nobilioribus omnium Gallorum creditoribus. Quid si cui forte prima fronte munusculum istud odiosum & molestum videtur, eoque nomine improbat, quod tot hominum ingenia excitet: ipsius purissimæ & inuiolatæ veritatis vis ac robur insuperabile

cui potius, quàm eiusmodi Censoris opinioni innitor, mihi tutissimi sponsoris ac vindicis loco hac in parte erit: quippe quã assentatoribus, ac perfrictæ frontis mendacibus opponere coactus fuerim: hoc verò vobis Latino sermone adeo vulgari ac trito scripsi, quam est simplex & sine vlla affectatione Gallicus Reginæ Angliæ celsitudini inscriptus. Qui verò hæc sine vlla animi perturbatione legent, fucum omnem quo Puybracus manum habens vænalem, sicuti olim Balaam linguam, vt populo Dei malediceret, vsus est in sua pulchra illa ad Stamsaũ Heluidiũ epistola, quicquid itẽ Monlucus Valentiæ Episcopus, Lansacus, cæterique eiusdem farinæ pretio cõducti mendaces, vobis ad euertendã veritatem persuadere conati sunt, lõgè abesse ab hoc opere deprehendet, quod quidem non fucato stilo argumentum totumque subiectum narrat & exponit.

At enim quæretis, cur ais Philadelphe nobis Frãcogallos obstrictos & deuinctos esse? nobis nimirũ qui secundũ illum gnatũ tantæ spei adolescentem totius Frãcogalliæ quondam præsidium ac propugnatorem futurum ab eis abstraximus, simúlque cum eo principes, Proceres, Nobiles, & insignes cõsiliarios, auro, argento, supellectile onustos, qui-

bus pro

bus propriam patriam euacuarunt, vt nostram ornarent ac manirent, eduximus? nobis nimirum qui nostra negotia conficientes, eos infinitam pecuniæ vim ad sumptus legatorum nostrorū tolerandos profundere coegimus, nec tamen illi oblatum torquem ordinis, vt vocant, S. Michaelis, quo omnes qui donantur Caroli V aleſij cognati efficiūtur, accipere dignati sunt? Nos ipsi potius videmur illis omnibus modis plurimū debere. At concedamus nos aliquatenus ex tua sententia Francogallorū esse creditores: quid verò inde nobis, vel illis accedit emolumenti, cum te illorū miserias & calamitates narrantem audiamus? Nonne perinde est ac si diceres, ac ita nobiscum ageres: Verum quidem est omnes Francogallos vobis esse debitores: sed nolite putare ante longam annorum seriem vel vnicū obolum eos dissoluere posse: tāta enim penuria atq; egestate premūtur, vt vix vnquam emergāt, quin, nisi Deus opem ferat, in aram cōfugere, vel fortunarum omniū miseram cessionem facere cogantur. Hi sunt læti nūtii quibus animos nostros recreare conaris. Est verò istud à te nobis oblatum munus, vt ais.

Fateor equidem illus. Principes, ac natio celeberrima & inuictiss. hac vos, vt videtur, oratione vti posse: at quicquid tādem afferre possitis, certū

tamen est vobis Francogallos innumeris partibus potius quam vos eis esse obstrictos, si Regis vestri electionis occulta mysteria intus & incute perscrutentur, non autem in cortice, vt aiunt hæreant, vti bardi & stolidi solent homines, quibus vlterius penetrãdi non est ingeniũ nec facultas.

Fingamus enim vos Rege carentes sub solo legum, & rationis, quæ illarum anima meritò dici queat, præsidio viuere non posse, nolle etiam Reip. vestræ gubernacula alicui vestrûm committere, Francogalli autem vobis suæ gentis Regem suppeditarint (si tamen ille à sanguine Frãcogallo traxit origine, nam quod ad maternum genus attinet, non ignoratis Florentinorum mercatorum cognationem, ideoque eam esse semperque fore Florentinam) concedamus ergo vos eis quòd Regem educarunt, vobisque subministrarunt nonnihil esse obligatos: ratio enim postulat, vt genti ac familiæ ex qua proficiscitur aliqua obligatio debeatur. Quid tum postea? nunquam profectò tantùm Francogallis debebitis, quãtùm olim Israelitæ Iesaicæ domui, ob Dauidem, Salomonem, Iosiam ac similes eiusmodi pios Reges à sancta illa stirpe progenitos: nec quantùm Sabinis Romani ob Numam suum legislatorem, nec quãtùm

ùm Lacedamonii duabus Agiadum ac Eurytionidarum familiis: nec item quantũ sacrũ Romanorum Imperium, Palatinorum ac Bauarorum familiis debere merito profiteri potest, ob maximos & præstãtißimos Cæsares ab iis ductos & acceptos.

Hic, pace vestra dictum velim, non est eius loci, personæ nec ordinis, vt aliqua saltem in re par sit gradui ac dignitati, ad quam vos illum euehere voluistis. Quin potius verendum est, ne vobis Deus infensus ob tot errores qui apud vos tolerantur atque admittuntur, vnius cacodæmonis loco, quo vt deciperetur Achabus vsus est, duobus hisce Monluco scilicet Episcopo, ac Lansaco equite vsus fuerit, qui essent in medio vestro concilio ac comitiis mendaces spiritus cum erroris efficacia, vt ita vobis monstrũ Regem in sua ira & furore concederet. Verum aliter sese res habeat, sit optimus Rex vester, vobísque adeo vtilis ac commodus, quàm Francogallis suæque patriæ pestifer ac perniciosus. Vobis tamen nihilominus, vt dixi, ob beneficia à vobis in eos collata in perpetuum erunt amicissimi ac diuinctissimi. Ac primum quidem ob bonam quam suæ nationis habuistis existimationem, quam quidem

vestris de quibus agimus, suffragiis multis aliis vobis & propinquioribus & vicinioribus populis pretulistis. Deinde eo quod ut ad fœlicem exitum hanc primam electionem, seu cœptum hoc perduceretis, in Francogalliam delectos è vobis nobiles Lanienæ tempore misistis, qui Amiralium vnum sanè ex Francogalliæ parentibus de hoc negotio consulerent. vosque ex illius consilio & sententia gereretis. Præterea ex eo quod perlato ad vos nefandæ huius lanienæ nuntio, in qua Amiralius ante nobilium vestrorum aduentum mactatus fuerat, statim bonam omnem opinionem de domo Valesiana prius conceptam abiecistis, vt nouam eamque verissimam insereretis, nullam nimirum in toto orbe familiam tanta tamque insigni perfidia ac proditione, quam illorum commaculatam.

Ad hæc eo quod tunc tanto erat vobis horrori hoc flagitium, vt bubulcum quempiam, seu agasonem Regem vestrum potius creare, quam vllum horum laniorum parati fuissetis, nisi vos huius electionem ratam habere, irritati cæteri omnes ambientes ac regno vestro inhiantes coegissent.

Vobis insuper Francogalli obstrictissimi sunt, quod

quòd patrata illa lanienа non prius in confirmando rege vestro designato pergere voluistis, quam Monlucius ac Lansacus vobiscum de multis articulis dato etiam heri sui nomine iureiurando transegissent. Inter quos hic præcipuus erat, Vt in nefarias cædes illas quæstio decerneretur, illisque auctores digno supplicio plecterentur: vnicum sane ac præsentissimum remedium ad pacem in tota Gallia firmandam. Quod vtinam etiam eo quo debet ordine fieret.

Quòd etiam legati vestri, quos rebus ad hunc modum constitutis ad Regem vestrum salutandum in Francogalliam misistis, priusquam quicquam de vestris negotiis pertractarent, de pace restituenda singulari quodam studio ac contentione egerunt, adeo in votis habebatis Francogallos omnes videre quietos ac pacatos.

Tum quod, cum nullum a Tyranno ex iis capitibus, quæ in Polonia interposito iureiurando pollicitus fuerat Episcopus, licet obnixe solicitantibus ac vrgentibus legatis vestris, impetrari potuisset, eorum saltem aduentus fama improbi illius ac perfidi vanissimique edicti pacificatorii promulgationem maturauit: atque ita Rupella obsidione liberata est.

Ex eo quod assiduis & seriis legatorum vestrorum, vbi in Tyranni aulam appulissent, precibus Deo ita volente ac disponente, miserrimi Sancerrani obsidione, fossis & aggeribus vndique circumuallati, quos quidem notus ille feritate Lycaon fame coactos vt sese inuicem vorarent adigere decreuerat, liberati fuerunt.

At in primis ac potissimum de illis estis bene meriti, vobisque eo maxime nomine deuincti sunt, quod misericordia cõmoti ob duram eorum & immanem conditionem sub barbara Valesiorum tyrannide, eorum ceruices Tyranni fratris iugo subleuastis, quem cum non exiguo numero eorum qui tyrannidis fautores erant ac columina patriæ vestræ legibus vinctum in triumphum duxistis, magno eorum qui veri & genuini sunt Frãcogalli bono ac lætitia, qui quidem hoc de vobis sperant ac sibi persuadent, effecturos ne vnquam posthac feræ istæ ac immanes belluæ ad eos dentibus lacerandos gressus referant.

Hæc sunt quæ me vt Gallos vobis deuinctos affirmarem, impulerunt. Quod si forte conquerantur vestrûm aliquis me nimis aperte & sigillatim illorum flagitia & scelera patefacere: oportuit tamen vos quorum maxime interest illorum

certio

certiores fieri, ne Gallorũ expectatio & spes vos falleret. Licet enim à vestris legatis multa audire de Gallorum moribus positis: hoc tamen de his dialogis ausim vobis polliceri neminem posse magis dilucidè & apertè Gallorum statũ vobis ante oculos proponere, & quasi penicillo depingere. vobis insuper, quibus rationibus suis mederi morbis decreverint Galli commõstrare: quibus (si aliquando ab illis aliquid auxilii expectatis) debetis etiam vos vicissim quæ vobis suppetunt remedia illis suggerere. Quod si forte aliquod aliud regnum vestro remotius sit quod careat Rege (etiamsi Furiarum esset regnum) non vos fugit quam tali regno sit noster tyrannus cum matre & suo regio satellitio idoneus: aut si alia quauis expedita ratione tyrannum de medio auferre posßetis, summo beneficiorum cumulo Gallia tunc à vobis ornaretur. Vobis etiam tum optimo iure ut suæ patriæ liberatoribus, statuas erigeret vobisque contra hostes auxiliares manus porrigeret: alioquin parum aut nihil spei est reliquum Gallos posse vobis pro merito parem referre gratiam, & suo officio erga vos perfungi. Tantis enim sunt obruti calamitatibus, vt in diem victitent, coacti semper gladium habere

præ manibus, oculos autem ad Deum conuersos ab illo solo opem & auxilium, reliquorū omnium fratrum destituti ope expectates. Superest igitur (illustrissimi Principes) vt meam scribendi fiduciam æqui bonique consulatis. Cum vobis tragicam hanc tabellam obtulerim his quibus potui lineis exaratam.

Nec calamus, nec nostra manus satis exprimit atrox
Prodigium hoc superans, proh dolor omne scelus.
Sat fuerit si vos tentarit pellere supplex,
Vlciſci vestra vindice velle manu.

Date igitur operam (clarissimi Principes nobilesque generosi) ne quas tenetis feras, à Deo vobis in custodiam datas, aliquando liberas dimittatis ne vicinis aliquod damnum inferant: cauete etiam vobis ipsis, ne suis insidiis vos perdant ac pessundent. Alioqui si vicinis (vestra incuria) aliquod damnum aut incommodum laxatis his leonibus eueniat, illorum animas Deus de manu vestra requiret: Si autem vobisipsis nocuerint vicinis eritis ludibrio, vt qui tanto labore & tantis sudoribus feras immanes quæsieritis tam procul dissitas, quæ vos laniarent ac vnguibus lacerarent

rarent. Opto ego potius vt liberet vos Deus optimus maximus ex illorum faucibus, & regnum vestrum sartum tectum conseruet, vt olim Danielem seruum suum in Leonum spelunca saluum & incolumem conseruauit. Vobisque robur & consilium in regni vestri administratione

suggerat, & sua per Christum misericordia complectatur.

Amen.

EXEMPLAR EPISTOLÆ CVIVSDAM NOBILIS AD Ducem Guisium.

Cùm Dialogi duo Gallicè primum scripti (Dux clarissime) forte in manus meas peruenissent, expensis qui ab Eusebio Philadelpho interlocutoribus attribuũtur sermonibus, mei esse muneris & officij credidi illos per hunc Nobilem ad te mittere, & quæ ad tuũ decus & familiæ splendorem pertinent paucis commonefacere. Hoc ego imprimis compertum habeo (Dux generose) ab Hugonoto quodam cæde illa ingenti & inaudita exacerbato, conscriptos esse hos Dialogos, qui nihil magis quam Valesiæ familiæ ruinam cupiat: cum ad amussim illorum vitam & gubernandi rationem delineare videatur. Iam diu illa Valesiorum familia tibi & tuis regnum præripuit, quod non regit sed vastat & funditus peruertit. Cæterum magna pars Nobilium ab illa est abalienata,

alienata, & tibi tantis tuis beneficiis deuincta, vt videãtur tibi ad regnum capes sendum non solum feneſtram, sed fores etiam patefacturi. Si de Catholicorum voluntate agatur: omnium in te sunt conuersi oculi, in te vno (Andico duce, in Poloniam relegato) illorũ opes & spes sitæ sunt, à te vno suam salutem pendere existimant: tibi & tuis fidem habent, præterea nemini: cum nihil firmum & verum in tota Valesiorum familia videant: imò potius omnia ficta, simulata & incerta appareant. Quòd si nunc de Hugonotorum voluntate quæratur, hoc libello passim videre licet quo studio in te & tuos ferantur: & quã lubenter Diadema iure vestrum, vestro impositum capiti conspicerent. Licet enim quædam à vobis olim gesta in Hugonotorũ perniciem in medium afferat habita historiæ ratione, illa tamen longa serie temporum, quibus solent etiam grauia vulnera leniri, obliterantur & in obliuionem veniunt. Si quando autem de vobis sermonem instituat, ita de vestro gubernandi iure, & de

regno à vobis capeſſendo rationibus diſſerit: vt nihil aptius dici poſſit. Cum etiam de Amiralij cæde à vobis illata agitur, hanc non odio religionis à vobis patratam inquit, ſed ad vindicandas priuatas iniurias: cum ſatis conſtet vos innumeris Hugonotis (etam inuito tyranno) peperciſſe, atque adeo præcipuis illorum ducibus, vt Acerio. Hoc magno eſt indicio (ſi Politici ſermones attendas) Hugonotos omnibus votis exoptare vos iam ſedere in ſolio, ex quo ab Hugone Capeto vos olim detruſi & deturbati fuiſtis. Hugonoti enim hoc ſibi de vobis pollicentur fore, vt per vos illis liceat non modo ſuis vti facultatibus, ſed etiam ſuæ religionis exercitio tota Gallia. Nihil à vobis perfidiæ & crudelitatis expectantes, cum illud vobis notum ſit perfidiam ſuo auctori perniciosam, &, vt ait ille, malum conſilium conſultori peſſimum eſſe. Itaque cenſerem vnico illo religionis impedimento ſublato, vt hac in re Hugonotis morem gereres, & accepta ab illis fide, receptóque corporum & fortuna

tunarum ſeruitio, illis cætera concede-
res. Permiſſa Deo illorum conſcientia, &
illis Deum ſuo modo colendi facultate,
cum illis placidè te gereres. Quod te vt
facias, cum id Tyrannorum ſit conſcien
tiá velle cogere, recens Poloni Regis ex-
emplũ monet, qui Polonis eſt pollicitus
ſe quaſcunque religiones quæ nunc vi-
gent in Polonia conſeruaturum, etiam ſi
non ignoret multos in Polonia eſſe Ana-
baptiſtas, & Arrianos omnium pernicio
ſiſſimos hereticos. Ducis etiá Sabaudiæ
exemplum omnibus notum factum tu-
um comprobaret, etiam ſi illius exem-
plo tuarum eccleſiarum Miniſtris ſtipen
dia deſignares & decerneres, vt videre li
cet in tribus illis præfecturis à Bernati-
bus Duci redditis, in quibus cum ne v-
nica quidem miſſa celebretur, ea tamen
eſt populi obedientia, & in illum obſer-
uantia, vt cæteris omnibus ſubditis in
ſubeundis oneribus ſint paratiores: vt
nullis maiorem habeat fidem ipſe Dux
quá iſtis aut vallis Angroniæ incolis, qui
(cum bona Ducis pace) eandem religio-

nem profitentur. Sin autem Papæ exemplum magis arrideat in re etiam maioris momenti, hoc non te fugit qua libertate Iudæos in ſua ditione doneț, Iudæos, inquam, Chriſti iuratos hoſtes, quem tamen Hugonoti vnicum ſuum redemptoré agnoſcunt. Demus (clariſſime Princeps) Hugonotos eſſe in culpa, (quam in eo duntaxat agnoſcunt cum Valeſiis fidem habuerunt) Deus tamen non vult mortem peccatoris, ſed vt viuat, & vitam mutet in melius. Concedamus inſuper illos in fidei articulis aberrare: ſcimus tamen illos ſacram ſcripturam amplecti, & paratos eſſe ſi ſcripturis conuincantur priorem mutare ſententiam. Suam fidei confeſſionem in lucem ediderunt: de illius articulis diſſerere non recuſarunt, neque adhuc recuſant, dummodo id pacatè fiat, & illa quam decet Chriſtianos modeſtia. Hanc ego profiteor viam meliorem ad firmandum ſtatum Regni, & animos hominum conciliandos: quàm ſi ferro & igne agatur. Iſti verò Hugonoti poſſunt ſuæ fidei & ſpei rationem reddere &

re & de Deo honorificè loquuntur: etiam maiori cum reuerentia quàm ſoleant noſtri Doctores. Nedùm nos qui vix Dei nomen vſurpamus, niſi vt blaſphemiis & deierationibus illud proſcindamus. Fides autem noſtra pendet ex arbitrio magiſtri Ioannis vel eius vicarij: quod ſi aliquis in noſtram & illorum vitam inquirat, reperiet illos tãtum abeſſe à flagitioſa vita, quantum nos turpi & diſſolutæ dediti ſumus, neque dummodo illos ferro & igne perſequamur, quicquam penſi habemus: præſtaret (mi domine) Gamalielis cõſilium ſequi, qui Apoſtolorum tẽporibus cenſuit, vt quieti dimitterentur, ratione hac fretus. Si ab hominibus illorum doctrina ſuam habuit originem, perituram: ſin à Deo, fruſtra illam conaturos euertere homines. Ordines & regni ſtatus, vt vocant, Aureliæ cõuocati, licet minus liberi idem ſtatuerunt. Totius Gallię magnates, qui Poſſiaceno colloquio interfuerunt, rationibus miniſtrorum intellectis, idem cenſuerunt, ſcilicet ne Religionis cauſa ali-

quis in ius vocaretur. Itaque dummodo hac incedas via non est dubium quin superiorum malorum obliti, tibi sint Hugonoti addictissimi: nihil enim iam conqueruntur quàm Reginæ matris artes, Peronij & Biragij contumelias & cætero rum Regis satellitum, qui hoc regnum pro arbitrio versant & vexant. Illa etiam gubernandi pacata ratio Catholicis per grata erit, quorum alij nihil iam magis cupiunt, quam pace & quiete extincto hoc bello ciuili, frui: alij semper à bello & crudelitate alieni fuerunt, & bellum iam horrent, qui infinitis fuerunt affecti incommodis: itaque constat omnes tuis partibus fauere paucis exceptis. Mommorentius cum fratribus iure est inimico in te & tuos animo, & periculum est ne illis maior à Duce Alenconio gratia & auctoritas concilietur: verùm locus est præoccupandus, interea dum ab aula absunt. Quod si velint cristas erigere, super est vt te Galliæ liberatorē profitearis, statim Valesij à suis deserti corruent. Populus libertatem amplectetur, Nobiles autem

aures

aures porrigent, & teipſum ſectabũtur. Vide tum vt ordinum autoritatem & libertatem priſtinã reducas, vt antiquum ius Galliæ vigeat, vt catafractorum equitum ratio habeatur, & ad antiquum numerum reuocentur, vt à populi fortunis abſtineatur, tributis & vectigalibus quãtum fieri poterit leuetur. Denique fac te patrem patriæ geras, quæ obuiis vlnis te & tuos amplectitur. Eiecta hac Florentina & cæteris Italis quaſi peſtiferis portentis, fac te meliorem Valeſiis præbeas, non ſolum verbo, ſed reipſa, & illi ſtatim concident. Cætera quæ ad hanc rem pertinent libenter oratione complecterer, ni ſcirem Reuerendũ tuum patruum hęc longe melius tibi ſuggeſturum, ni etiam breui ſperarem, me ad te profecturum, tibíque manus deoſculaturum & coram multa narraturum, quę non audeo literis committere. Te interea etiã atque etiam hortor & moneo, vt rem te dignã aggrediaris, & quamprimum effectam des. Periculũ eſt ne ſerò nimis rem inceptes, & ne ipſi Nobiles cum populo ſeipſos, &

ſua manu in libertatẽ vindicent, ne etiã excuſſo Tyranni iugo ſibi Regem eligãt, qui legibus ſubiiciatur exemplo Polonorum ducti, tum temporis precibus vix locus ſupereſſet: memineris quid de occaſione dictum ſit olim:

Fronte capillata poſt terga occaſio calua eſt.

Poſtremò (mi honoráde domine) Deum precor tibi addat animos, vt me impulſore, tuæ patriæ vicem miſertus regnum capeſſere velis à Tyranno, mulierculis, Italis, ganeonibus & lenonibus dilapidatũ.

Vt tuis etiam incœptis faueat, teq; & tuos nobis ſeruet incolumes.

Bene Vale, Rhemis.

Calend. Ian.

1574.

IN EFFIGIEM PACIS VALESIÆ Dialogismus.

Polonus. Pax Valesia.

Po. *de precor nomen si fas est, quidve solutis*
E Crinibus, augusto & speciose incedis amictu.
P. *Gallica, si nescis, sum pax, qua terrius vllum*
Non cali conuexa tegunt, non qui omnia flammis
Sol lustrat, vidit facinus. Po. *Quo sanguine creta es?*
P. *Me genuit fœdus Guisia de stirpe sacerdos.*
Po. *Qua mater?* P. *Thusca est furiato pectore Trigis.*
Po. *Ecquid vela geris vario distincta colore?*
P. *Texuit hæc mater manibus scelerata nefandis,*
Queis tellam versare dolos & nectere fraudes
Edocuit. Po. *Tibi cur sparsi sine lege capilli?*
P. *Arripior facilis simul ac oblata, quæsis*
Optata fallens specie. Po. *At cur prodis operta?*
P. *Cognita sum cunctis, nil iam latuisse iuuabit.*
Po. *Ensis quid strictus sibi vult?* P. *Hoc melyta quondam*
Inuictos bello quos Gallia fouit alumnos
Absumpsi, media confundens fœdera nocte.
Innocuo & deinceps fœdani cuncta cruore.
Po. *Quid calcas?* P. *stetit istis Gallia fulta columnis,*
Iustitia & Pietate, iacent nunc ecce, remulsæ.
Po. *At te etiam pacem mentiris perfida?* P. *Nempe*
Tot per me æterna compositi pace quiescunt.
Po. *Quid Tyrio splendens designat murice vestis?*
P. *Falleris, hanc Meretrix tinxit Romana piorum*
Sanguine; próque meis meritis concessit, amicis
Vt solet. Po. *Aduersus gladii sed cur tibi mucro?*
P. *Quis dubitet proprio, si quid pia numina possunt,*
Supplicia hausuram ferro, matrémque patrémque
Cum catulis? capulo si saltem impellere quisquam
Arrepto tentet, scelerata in viscera torquens.

D.S.P.R.I.A.A C.H.C.L.M.E.

olluntur meritò titulis tua sceptra duobus,
Tu Carole, Iustitia cum Pietate pari.
Scilicet hos præstant tibi sancto è pectore mores,
Et quæ de priscis facta petuntur auis.
Nempe tibi quia sancta fides, immotaque pacta,
Et certus iuncto fœdere pacis amor:
Dicta procul fuco, mens candida, pectus apertum,
Vitáque non vllis contemerata dolis.
Quòd nunquam iuras iurato terra dehiscat
Ima prius, quàm te deserat alma fides.
Tu populi pia cura tui, miserisque leuamen,
Dulcis, & afflictis rebus amica salus.
Tu tibi commissos inuicta mente tueris,
Ac tibi supremum prodere velle nefas.
Seuitia est exosa tibi, sacer est tibi sanguis,
Et sacra, quæ fuso sanguine parta placent.
Hæc quia non poterat prior ætas cuncta probare,
Idcirco titulis defuit ante fides.
Nuper connubio firmasti singula, Carle:
Nil iam te & titulis verius orbis habet.

lethia, id est veritas, in Hungaria,
quæ in ditione Turcæ est, tuta se
A de & liberali hospitio excepta,
Philalethen amicum è Gallia pro-
fugum ad se venientem prospi-
cit, & agnoscit, sciscitatúrque ex eo cau-
sam fugæ. Eam Historiographus Philale-
thæ rogatu narrat, summa quæq; percur-
rens eorum quæ in statu Religionis con-
tigerunt, à temporibus Francisci primi,
ad mensem Augustũ anni 1572. sub Ca
rolo nono. Vnde incipit singula fusius
& accuratius exequi. Politicus Historio-
grapho hanc Historiam narranti nonnul
la suggerit, notátque obiter lapsus, erro-
resq; vtrinque admissos, subiiciẽs oculis
miserabilem Gallię statum. Eccleſia quo
que ibi præsens, personam suam interpo
nit, & nonnunquam loquitur pro subie-
cto argumẽto. Daniel, hoc est Diuinum
iudiciũm, in hæc omnia sententiam ma-
gni momenti pronuntiat. Continentem

inter cætera quadraginta articulos ad ciuilem & militarem politiam ſpectantes. Politicus & Hiſtoriographus Galli, qui ad eam diem Papiſtæ fuerant, ad Dominum conuerſi, ab Eccleſia, cum mandatis in diuerſa mittũtur. Hiſtoriographus ad Principes & gentes vicinas, vt illis tragœdias Gallicas exponat, & officium ipſorum ergà pios. Politicus ad oppreſſos Gallos, vt ipſis decretum & ſententiam à Daniele latam, formamque adminiſtrationis ab ipſo inſtitutam ſignificet.

***

DIALOGI I. INTERLOCVTORES.

ALETHIA, PHILALETHES, HISTORIOGRAPHVS, POLITICVS, ECCLESIA, DANIEL.

Alethia.

A Vt me fallunt oculi, aut lentè venientem ad me conſpicio ſeſſum valde & itinere confectum veterem amicum, Philalethen. Et certè ipſus eſt. Deum immortalem, quàm macilentus eſt, quàm ſqualidus, pannoſus & malè habitus! Nihilo tamen minus hominem quāquam ſocultum libet cōplecti. Saluere te iubeo ô chariſſimum caput. Quinam autem hi duo ſunt quos tibi video comites? ¶ *Philalethes.* Salue tu quoque plurimum ô mihi amiciſſima. Quòd de iſtis rogas, alter Hiſtoriographus eſt, alter Politicus Gallus. *Aleth.* Comitem tibi alterum eſſe altero longè miſni iucundius eſt, quòd compertum habeo quàm vtilis & neceſſarius ſit ad iuuandam poteritatis memoriam, alterum autem ferè pernicioſum & noxium ſcio eſſe, præſertim ſi educatus ſit in aula non nullorum Regum & Principum quos noſti. Verùm dum modo mea inſtituta animo infixa cuſtodias, nequaquam vereor ne politici illi, quales hodie non paucos habemus, te à me facilè alienent. ¶ *Philaler.* Mori me malim, quàm vel tantillum meo erga te officio deeſſe, aut ab iis diſcedere quæ abs te didici. Politicus autem hic quem vides, tametſi aliquot annos vixit in aula Caroli IX. tantum abeſt tamen vt me de ſententia mea deducere conatus ſit, vt potius (quæ illius modeſtia eſt & prudentia) me quoad potuit iuuerit & confirmarit: adeo vt quum me è Gallia diſcedētem videret, ſe mihi vnà cum optimo hoc viro Hiſtoriographo comitem adiunxerit. Quanquam e-

nim nullam veritatem norunt quàm historicam, nullam tenent scientiam quam quæ in rerum ciuilium intelligentia versatur, ambo tamen me rogarunt vt eodem mecum rerum euentu (quicunque ille tandem esset) sibi per me vti liceret: hæc sunt enim verba quibus me discedentem compellarunt. Ita factum est vt postea itineris, mensæ & lecti communio mihi cum illis intercesserit, & quidem tanta concordia & fide quanta optari possit.

¶ *Aleth.* Equidem libentissimè quæ commemoras audio, quòd tibi tam fidos comites Deus asciuerit, neque absque quodam numine contigisse puto, quòd vnà tecum venerint. Te autem quis vnquam putasset in his regionibus peregrinari?

¶ *Philal.* Imò verò longè plus est cur miremur quòd hic habitandi locum delegeris (quemadmodũ te domum etiam video constituisse) quàm quòd erroribus actus huc tandem aduenerim.

¶ *Aleth.* Quod ad me attinet, quum magis sim mundiuaga quàm vllum vsquam locum fixum habeam, mirum non est si, quum iter hac agerem, méque à nonnullis libenter excipi viderem, hic sedem meam constituerim, & familiam collocauerim: id enim facio vbicunque aduentum meum gratum esse intelligo. At quòd tu patria tam beata, tam fertili, quam tot nostri amantissimi homines incolunt, relicta, animum tandem induxisti tam longinquam regionem adire, id verò maximè mirandum mihi quidem videtur.

¶ *Philalet.* Quũ scies quæ mihi causa fuerit veniendi, multò magis eos miraberis qui mihi occasionẽ è patria migrandi dederunt, quàm me qui datam in tempore potui accipere. Quòd autem huc me recepi, id facere coactus sum quòd viderem parum tutò in locis magis vicinis Galliæ me posse manere, ob nimiam eorũ ignauiam qui illic dominantur. Itaque maturè huc veni de sentẽtia etiam Politici, ad sedem & quietem tutam quærendam.

¶ *Aleth.* Iterum tibi faustum aduentum opto. Enimuero

ero noſtri multò tutius hic poſſunt habitare, Dei bene cio, quam multis in regionibus quibus præſunt qui ſe Chriſtianos appellant. Iam illud narra obſecro, cur patriam reliquiſti? quis te ita miſerum in modũ ſpoliauit?

¶ *Phil.* Ego verò ac lubens narrabo, mihíq; fidem habeas rogo. Quòd mihi hæc omnia acciderint, quia tibi ſemper ſtudui, & à te ſtare téq; aduerſus quoſlibet tueri volui, nullam abs te mihi gratiam referri poſtulo, multo etiam minus idcirco à te alienari vel officium deſerere cogito: quin te vitæ meæ periculo defendam. Verum ſi tibi videatur, malim equidem iſta ab Hiſtoriographo narrari, quàm à me, qui ſuſpectus eſſe poſſum bonis iſtis viris qui nos audiunt: ille verò rem vti geſta eſt, tibi & iſtis facilè exponet, vt qui memoria valeat & fide quanta in tali viro requiritur.

¶ *Aleth.* Magnopere ſanè lætor, quòd tanta te conſtantia video in amicitia, quicquid accidat, perſeuerare: Neque verò dubites velim, quin gratiam tibi ſim relatura, tandémq; effectura, ſiquidem perges, vt res hæc tibi ſit ſuauiſſima. De iſtis porro acerbitatibus quas ſubinde percipiunt homines noſtri ſtudioſi, ipſe ſcis culpam hãc (quam homines mei meorúmque odio in me conferunt) mihi non debere tribui, non magis profecto quàm vino præſtanti, ſi homo ſua intemperantia vituperio dignus ſit. Iam verò quoniam iſta multis verbis indigent, téque ſatis confirmatum eſſe quid de iis credendum ſit cõfido, in aliud tempus hæc ſanè reiiciantur, quo pluribus agemus in rudiorum vtilitatem. Nunc præſtat Hiſtoriographum clara voce, vt ab iſtis exaudiatur, nobis narrare quæ de tuis calamitatibus didicit & collegit. Non vis ô bone, in hac re nobis gratificari?

Hiſt: Tametſi nullam tui notitiam habeo, & ad huius Tragœdiæ narrationem vel potius ſolam memoriã, ſenſus omnes vehementer commoueri & comam horreſcere experior, tamen adeo ſum veritatis amans, vt minimè recuſem quin quæ teneo optima fide exponam. Hũc au-

tem comitem meum Politicũ mihi ſubſidio eſſe velim, vt quæ à me incauto prætermittentur, addat, reſecet quæ ſuperuacua videbuntur. ¶ *Aleth.* Rectè ſanè. Tibi verò Politice quid videtur? ¶ *Polit.* Aſſentior. Doleo tamen quòd eorum memoriam renouari audio, quæ pro eo ac honori patriæ meæ, Regis & regiorum ſtudeo, æterna obliuione ſepulta eſſe cuperem. ¶ *Aleth.* Aggredere igitur quæſo te Hiſtoriographe, vt neque de tuo addas quicquam, neque vllum partium ſtudium præ te feras; ſed bona fide rem vt ſe habet expone. ¶ *Hiſtori.* In præſentia, quia commentarios apud me non habeo, non poſſum niſi ſummatim narrare. Poſtea, ſi Deus volet, ſpero me aliquando omnia ſigillatim hiſtoriæ mandaturum, quæ poſteritati relinquatur, vt nihil mihi diſſimulãdum putem. Nunc ergo attendite.

Quum lux Euangelica (ſic enim vocabatur) tum voce tum ſcriptis Lutheri, Buceri, Zuinglii, Oecolampadii, Melanchthonis, & aliorum doctorum hominum cœpiſſet illuſtrari & quaſi denuo patefieri, Papa quemadmodum in Germania ſuis technis, copiis etiam & viribus Caroli V, ſic in Gallia quoque ope Franciſci primi his cœptis nauiter obſtitit: & curſum hunc flamma ſiſtere decreuit. Itaque Senatuſconſulta & decreta fieri curauit, ex quibus non modò libros veteris & noui Teſtamenti, vnde hæc doctrina hauriebatur, in Gallicam aut aliam vulgatam linguam conuerſos, ſed eos etiam omnes qui huiuſmodi libros tuerentur, quos tum Lutheranos appellabant, in ignem coniici oportebat. Merindoliũ oppidum eſt in ea parte Galliæ, quam Prouinciam vocant. Eius oppidi ciues verã Euangelii doctrinam à Patribus acceptam per multas ætates tenebant: ſed vulgò pro hæreticis habiti tum ad iudices rapti ſunt, ac de iis publico Prouincialis Senatus decreto triſte iudicium factum: quippe damnatos placuit vri: ipſius oppidi publica & priuata tecta ſolo æquari: locúmque in deſerta ac ſolitudines redigi, propterea quod ſpeluncam & receptacu-

lum

ium sectis præbuisse videretur. Quadriennium interces-
serat, cum summus Præses Oppedius, Procurator à Re-
ge Prouinciæ impositus cum Polino, quem Baronem
Cardianum vocant, aliisque ducibus & magna militum
manu, Merindolium, Cabrerias, totúmque illum agrum
inuadit, qui tum duobus & viginti vicis habitabatur: Ibi
scelere atque amentia vecordes, omnia ferro, flammis ac
sanguine miscuerunt. Non sexus, non ætas protegebat,
quominus stupra cædibus, cædes stupris iungerent. Oc-
tingenti viri, pueri, fœminæ, senes promiscuè cæsi sunt,
contra fidem ab Oppedio datam: Quarum rerum cum
ista extet historia, fusius exequi supersedeo. Mortuo
Francisco eadem sæuitia vsus est Henricus, qui illi in re-
gnum successit. Quo regni summam tenente, non libri
solùm, & ipsi Lutherani flammis consumebantur, verùm
etiam bonis illorum legitimi hæredes spoliabantur, quæ
ob eam causam fisco adiudicabantur, deinde vel Ducis-
sæ Valentinianæ, Mareschallo Santandræo vel similibus
aliis aulicis, tanquam meritorum & rectè factorum præ-
mia concedebantur.

Patefactus est ipso regnante piorum cœtus, Lutetiæ,
in vico D. Iacobi. Noctu in domum priuatam ad sacram
concionem & Cœnæ communionem fermè trecenti
conuenerant. Deprehensi ab sacerdotibus & Parisiensi
populo, omnibus contumeliis & probris affecti, complu-
res etiam in vincula rapti sunt. Repressa tamen in præ-
sens eorum hominum multitudo & constantia, mirabi-
liter crescebat, vt per eosdem fermè dies Lutetiæ & aliis
locis Apologiam quandam in vulgus ederent, qua obla-
tam sibi falsorum criminum inuidiam diluebant, Se nul-
lius externæ superstitionis reos, sed veram religionem
profiteri, quam vt eiurarent, nullis se ignibus, nullis sup-
pliciis induci posse. Tum quoque Andelotius Conesta-
bilis ex sorore nepos & Dux Gallici peditatus apud Re-
gem Henricum postulatus, quod Lutheranis faueret, li-
berè, Rege audiente sententiam suam de Missa aperuit,

eámque ob causam dignitate exutus, & in vincula conjectus: postea tamen precibus Conestabilis, Regi reconciliatus, & in pristinum locum restitutus est.

Tandem Henricus pace cum Philippo rege facta, quum odio doctrinæ Lutheranæ Geneuam delere & Annam Burgium Senatus Parisiensis Consiliarium supplicio afficere constituisset, dum nuptiæ celebrantur, in ipsis triumphis, tripudiis & ludis publicis hasta in oculo percussus est à comite Mõgomerio, qui ipsius iussu concurrebat: quo vulnere infausto sanè casu obiit.

Post Henricum incendiis sæuitum est sub Francisco, qui successit. Quo regnante omnis rerum administratio penes Lotharingos fuit, partim ob Reginam Scotiæ illorum neptem, quæ Francisco nupserat, partim etiam illorum artibus & calliditate.

Principes sanguinis qui vocantur, id est, qui Regem consanguinitate attingunt, quum viderent totius regni negotia à Cardinale Lotaringo, Duce Guisio & reliquis fratribus, eorum clientibus & fautoribus administrari, in Francisco solùm nomen regium reliquum esse, certiorem illum de ipsius rebus facere decreuerunt, rogare, vt primo quoque tempore ordinum regni conuentum haberet, omnia administraret ex sententia principum consanguineorum, aut certè totam rem illorum fidei mandaret & relinqueret (ex veterum regni legum præscripto) dum per ætatem maiorem in rebus gerendis peritiam haberet: tse quidem diutius pati non posse vt totum regimen Cardinalis cuiusdam (cuius munus sit in Ecclesia docere) libidini addictũ esset, & ipsius fratrum, quos principibus omnino cedere æquum esset, aut etiam ad rationem reddendam potius adigendos quàm vlterius in rerum administratione tolerandos: eo magis quòd nõ leuis subesset suspicio, regnum ipsum ab illis affectari. Id vero se vehementer pertimescere, quòd Lotaringi dictitarent se genus à Carolo Magno Pipini filio, Galliæ rege ducere, à cuius posteris post mortem

Ludouici

Ludouici V. xxxv. Galliæ Regis Anno 588. (vt Historiarum monumentis proditum est) regnum extorsisset Hugo Caperus, à quo in Valesiorum gentem peruenisset. Inde autem facilè Lotaringos ad se rapere posse, nisi ciues nati & veri Galli sua virtute & fide obstarent. Quod ad religionem attinet, cupere magnopere Rex se eò adduci sineret, vt modus fieret incendiorum, quibus passim Lutherani cruciabantur fidei & doctrinæ causa, quam quidem se optare dicebant vt Rex à viris doctis ad sacræ scripturæ normam (cui soli harũ rerũ iudicium concedi deberet) exigi & examinari iuberet.

Hæc scripto quodam instar supplicis libelli comprehensa Ludouicus Borbonius Princeps Condensis se Regi, qui tum Ambasiæ erat, oblaturum recepit. Ibi tum Lotaringi quòd vererentur ne quà mutatio sibi damnosa exoriretur, suos clientes & regios stipatores armarunt, quorum ope nobiles quosdam ceperunt qui se comites Principi Condensi præbere cogitabant, quos supplicio affecerunt, reliquis sparsis & dissipatis. Ita conatus ille Principum & Nobilium Gallorum irritus fuit, rumórque sparsus ad conflandam inuidiam, factum hoc vel incœptum non aduersus Lotaringos sed Regem ipsum comparatum fuisse, non ad Regem religionis aut boni publici causa conueniendum, sed ad regnum inuadendum. Hugonotorum nomen tum vsurpari cœptum, vt per ludibrium sic vocarentur qui antea dicebantur Lutherani. Tãtum denique abfuit vt mitius cum illis ageretur, vt etiã sæuior persecutio institueretur. Etenim Lotaringi illi quum vniuersa regi negotia suo arbitrio subiecta tenerent, aulam Ambasia Aureliam transtulerunt, ibíque ordinum conuentu indicto, Principẽ ipsum Condensem accersitum in custodiam, simulátq; adhenit, tradiderunt, vt ab eo tumultus Ambasiani rationem reposcerent: manifestissimo sanè capitis periculo, nisi Rex Franciscus statim repentino ad aurem morbo correptus vitam finisset.

¶ *Politi.* Huius temporis res gestas memoria probè teneo. Quòd autem ad ordines regni tum à Lotaringis nomine Regis conuocatos attinet, larua duntaxat & species erat, vt fucum facerent, quasi cuperent veteri regni instituta seruari, & illis ex communi ordinum sententia (qui regibus quondam prudentissimis erant vice oculorum & aurium, malis verò & insipientibus, fræni & censuræ) suam autoritatem constaret: quo nobilibus & populo omnem de illorum administratione expostulandi causam præciderent: quum quidem nihil minus cogitarent quàm vt de suis artibus quicquam remitterent. Proinde in singularum regni prouinciarum conuentibus, quibus deligebantur qui ad ordinum generalia comitia mittendi erant, id egerunt vt suarum partium hominibus hoc negotium daretur. Sed tum inopinata Regis mors illorum cupiditatis volatum si minus impediit, at alas certè nonnulla ex parte resecuit. Non multò pòst (vt aduersæ res non solæ consueuerunt accidere) mirificum quiddam Cardinali accidit: quod quidem si vobis non est nuntiatum, paucis exponam. Papa quum factum Ambasianum resciuisset, & egregiam Cardinalis operam in tuenda & ornanda sancta matre Ecclesia Romana aduersus Lutheranos, nunc Hugonotos factos (quibus non satis erat quòd ignis supplicio exempti essent, nisi de suis etiam dogmatibus publicè contenderent) veredarium ad illum misit, gratias ei per literas agens ob singulare studium in propugnanda sede Romana, rogans præterea vt in eadē porrò sententia & animo perseueraret. Cuius rei præmium dono se illi mittere tabulam à se consecratam, in qua inerat imago Virginis matris filium vlnis gestantis: quam nobilissimus pictor Michael Angelus tanquam artis caput pinxerat.

Accidit autem (Deo sic volente) vt qui literas cum tabula perferendas à Papa acceperat, in morbum dum iter facit, incideret. Nactus ergo iuuenem meretorem

rem Lucenſem Catholicum, qui ſe ex Cardinalis clien
la eſſe prædicabat (quum reuera infeſtiſſimo in illum
ſſet animo, propterea quod ab illo, qui regis ærario tum
præfectus erat, grandem quãdam pecuniam auferre nul-
o pacto poterat, quam ad bellum quod in Hetruria ge-
ſerat Dux Guiſius, contulerat) facilè illi fidem habuit,
hanc ſibi facultatem oblatam lætatus, quando vlterius
progredi per morbum non licebat. Itaque nomen Lucẽ-
is ediſcit. Et quoniam verebatur ne mora in literis red-
endis detrimento eſſet, hominem rogat vt tum has tum
abulam accipiat, quam illi in manus tradit, Cardinali, vt
lli pollicebatur, perferendas. Ille quum primum Lute-
iam venit, ratus ſe rationem reperiſſe qua Cardinalem
ignominia quadam afficeret, pictorem ex animi ſententia
reperit, cui tabulam magnitudine alteri parem faciẽdam
locat, in qua erant Cardinalis Lotaringus, Regina ipſius
ceptis, Regina mater & Ducis Guiſii vxor, ad viuum ex-
preſſi, nudi, brachiis collo innexis, & cruribus inter ſe im
plicatis. Hanc vnà cum literis ſerico & tela cerata alterius
tabulæ compegit, vni ex ſecretariis tradidit, dum ille in
conſilio apud Regem eſſet, vt in cubiculum deferrentur
curauit. Ille reuerſus, & lectis ſanctitatis Romanæ lite-
ris, tabulam inſpicere poſtridie illius diei, dum prãderet
cogitauit. Quam ad rem data opera inuitauit Cardinalẽ
Borbonium, Turnonium & Guiſianum, Duces Mont-
penſerium, Guiſianum & nõnullos alios Nobiles. Non-
dum ſecunda fercula apponebantur, quum Cardinalis iu
bet alta voce recitari ſanctitatis literas: quibus tanta cu-
piditas innata eſt conuiuis ſpectandæ Virginis gratioſæ
(ſic enim tabula illa vocabatur) vt omiſſo corporis cibo
de paſcendo animo cogitarent. Afferri tabulam iuſſe-
rant: quam religioſè explicatam quum ſpectaſſent, qua-
lem vobis antea deſcripſi, ipſi per vos intelligatis licet
quem illis ſtuporem, quem Cardinali dolorem res at-
tulerit.

¶ *Hiſtoriog.* Nunquam mihi contigerat vt iſta audi-

rem: Sed mira sunt sanè & digna quæ meæ historiæ inseram, partim vt cernatur veritatis vis, quam ratione aliqua tandem siue maturè, siue lentè patefieri necesse est, partim vt perspiciatur quid valeat iustus dolor in homine commoto.

¶ *Polit.* Enim verò si dolor ad id agendum Lucensem impulit, scito etiam dolorem quem inde Cardinalis percepit, magno Hugonotis postea constitisse, quòd arbitraretur dolum hunc ab illis profectum.

¶ *Philaleth.* Sic non rarò innocens pœnas luit nocenti debitas. Verùm ne altius in hoc argumentum ingrediamur, redi ad tuam narrationem Historiographe.

¶ *Historiog.* Francisco mortuo Carolus IX. regnum iniit, annos natus decem. Catharina Medicea eius mater & Antonius Borbonius Rex Nauarræ primus omnium totius Regni principum initio disceptabant, vtri tum Regis tum negotiorum regni administratio tribueretur: mox consenserunt, sic tamen vt Regina superior longè esset. Tum Princeps Condensis innocens iudicatur & absoluitur, quod ad Ambasianum tumultum spectabat, fidus regis consanguineus declaratur, & carcere liberatur; supplicium quibus antea afficiebãtur Hugonoti, finis factus: ordines regni conuocantur. Ex illorũ sententia, ad quam accessit etiam Præsidum & Consiliariorum ex singulis vniuersæ Galliæ curiis, eorum insuper qui intimo in Consilio erãt, colloquium habitum est Posiaci coram Rege & Principibus, doctissimorum ex Catholicis cum Hugonotis: qui quum fidei suæ Confessionem edidissent, eamque coram defendissent, & suam doctrinam sacris scripturis confirmassent, tandem edictum à Rege impetrarunt, ipsius Consilii consensu, mense Ianuario, anno 1561. quoquidem Hugonotis permissum est libera vterentur conscientia, & sacra ex præscripto suæ religionis extra vrbes regni facerẽt. Inde maximus emersit numerus Ecclesiarum (sic enim nominabantur) plurimi passim illorum cœtus instituti: conciones habebãtur

in aula

in aula, Lutetiæ & reliquis ciuitatibus, cum tanta efficacia, vt istorum hominum vita emendari & numerus in dies crescere palã cerneretur. Cardinalis & fratres quum diutius talem eorum libertatem ferre non possent quos pro hostibus habebant, metuerentque ne si hæc doctrina radices ageret, cogerentur illa Hugonotorum reformatione 300 millia Coronatorum amittere, quos ex sacerdotiorum prouentibus quotannis accipiebant, & ad reddendam superioris administrationis rationem cõpellerentur, quò vires suæ factioni acquirerent, Antonium Borbonium ad se pellexerunt. Et polliciti sunt se effecturos vt Nauarræ regnum à Philippo Hispaniæ rege restitueretur, qui illud occupabat, aut certé Sardinia daretur, quæ in regni formam redigeretur. Adiunxerunt se etiam illis Connestabilis & Mareschallus Santandræus, quod metuerent partim ne in eos aliquando inquireretur, ob immensas largitiones quas à rege cõtra regni leges acceperant, partim ne cogerẽtur bona reddere quæ ex Lutheranorum & Hugonotorũ proscriptionibus occupauerant. Multi etiã primarii ad illos se adiunxerũt odio doctrinæ Euãgelicæ. Quam quũ se expugnaturos iureiurando cõfirmassent Dux Guisius specimẽ huius nefarii conatus cœpit edere in Hugonotos Vassiacenos, quorũ ipse cum suis magnũ numerũ trucidauit, quos in concione oppressérunt. Eodem tempore Princeps Cõdensis iussu Reginæ matris (ab illa enim literas & mandata accepit, quibus se & filium Regem defendendos committebat, patefactis Lotaringorum & sociorum consiliis) arma sumpsit, & Hugonotis Gallis vt sumerẽt autor fuit vt Regem, edictorum autoritatem & populi salutem tuerentur. Lotaringi magna equitum & peditum multitudine coacta, itémque Connestabilis & Santandræus armati in aulam venerunt, ibique Regis compotes facti, Regi etiam quoque in suas partes pertraxerunt.

Polit. Ita res habet. Hinc nimirum est prima malorũ quæ secuta sunt, origo. Regina autẽ mater si aut nun-

quam Principem Condenſem ad hæc arma impuliſſet, aut poſtea hoc facto nunquam adhæſiſſet Guiſianis, bella hæc minimè orta fuiſſent, aut certè non tam longè progreſſa. Verùm hoc certò ſtatuo, Reginam matrem, quia verebatur ne ſi inter proceres concordia ſtabiliretur, Regis & regni gubernaculis, quæ ſibi aſciuerat, ſpoliaretur, hanc rationem excogitaſſe, qua illos diſſociaret, dum fidem & autoritatem vtriſque accommodat, vt ſic illos diſtineret, propriis viribus debilitaret, háſque artibus poſt communem ſtragem ſe tutam in regni gubernatione ſeruaret.

Hiſtoriog. Aſſentior. Illud quidem conſtat, bellum ita productum fuiſſe, alternis victoriis & cladibus offenſionibúſque vtrinque acceptis, oppidis captis & amiſſis, vt in prælio apud Druidas commiſſo Princeps Condenſis à Papiſtis, Conneſtabilis contrà ab Hugonotis captus fuerit, Santandræus interfectus, paulo ante Rex Nauarræ ad Rotomagum, poſtremò Dux Guiſius ad Aureliam. Vnde tãdem ſecuta eſt pax tam optata Hugonotis, quos neceſſitas ſui ſeruandi armauerat, vt dixi. Illis enim edicto publico, Regis autoritate, matris & totius conſilii ad pacandos hos tumultus menſe Martio 1562. facto, permiſſum eſt libera conſcientia viuere, cultu religionis potiri in iis oppidis in quibus tum vigebat, multíſque in aliis regni locis. Quicquid ab illis in bello geſtum fuerat, approbatum & ratum habitum à Rege, vt pote ſua cauſa geſtum: imperatum nihilominus vt ab armis diſcederent, quietè deinceps viuerent (libera tamen conſcientia) vt antea fecerant, ex legibus & moribus regni.

Polit. Vnum illud prætermiſiſti, miſſum per id tempus Hugonotis fuiſſe à Regina Angliæ maximum & firmiſſimum auxilium, ob eam doctrinam quæ illi & populo cum Galliæ Eccleſiis eſt vna & eadem: quo nonnulla ex parte effectum fuit vt citius pax illa componeretur.

Hiſtorio. Rectè mones. Verùm vt ad ſuperiora redeã, edicto

edicto pacificatorio promulgato Hugonoti statim arma deposuerunt, Regisque voluntati, quam edicto declarabat, obsequentes pacatè, & tranquillè degebant. At verò Regina mater, quum memoria teneret quàm perfidè eos fefellisset, ad arma sui causa & iussu concitans, interim autem Lotaringos sua autorirate confirmans, vt scilicet mutuis illorum cædibus se oblectaret, metu ne tantæ iniuriæ memores, firma per totum regnum inita concordia, rationem inuenirent qua regni negotia absque illa administrarent, metuens ne sic rerum gubernaculis demoueretur: aut sanè quum diutius videre non posset duas factiones æquali pondere nutantes (quemadmodum Cato niniam domesticorum concordiam aduersus herum conspirationem vocabat) præ se ferre singulare in Lotaringos studium cœpit & alia vndecunque subsidia & auxilia captare. Huius rei gratia effecit vt Rex totum regnum obiret, vt filiam Hispaniæ Reginam salutaret: quam Bayonæ conuenit, ibíque cum Duce Albano colloquium habuit, consilia contulit, & de rebus maximi ponderis vnà statuerunt, quas exponere mihi non licet.

Aleth. At à me, si videtur, exponentur. Regina mater pro sua curiositate Nostradamum quendam (qui futurorum præsensionem pollicebatur) rogauit quid suis filiis futurum esset: quúmque intellexisset fore vt tres illos Reges videret, facilè illi fidem habuit, atque adeo metuere cœpit, ne si ita accideret, Florentiam ad natale solum relegaretur. Quamobrem æstuans animo, quemadmodum Statuũ auctoritate pridem oppressa, legem Salicam violarat in regni administratione inuadenda, inducit animum idem etiam in successione tentare: promisit Duci Albano, & iureiurando confirmauit, operam se daturam vt Hispaniæ Regina, filia maxima natu, siquid humanitus filiis accideret, regno Galliæ potiretur: id autem eo consilio vt Hispaniarum Rege firmissimo adiutore & patrono vteretur. Albanus autem quum leuiter illi non crederet, postulauit ad rem confirmandam, vt polli-

ceretur se pacificatorium Edictum antiquaturam, Hugonotis erepturam quicquid de libertate conscientiæ & cultu religionis concessum fuerat: vt sic constaret quâ in Hispanum voluntate esset in Gallici regni perniciem: quod à Regina facile impetrauit.

Polit. Næ longè aberat ab eo vt regnum in pristinum statum restitueret, quæ vetustissimas leges abolebat; vel vt Theramenis cothurnum indueret (quod nos monebamus faciendum) quæ partem regni perdere cogitabat, quam ægram dicebat: quum potius ambæ seruandæ essent: quo modo in corpore dimidia ex parte paralysi correpto facere solemus. O domũ infortunatã, in quâ fœmina viro præit: Verùm pergat sane narrare Historiographus, vt mala quibus remedium adhiberi non potest, præteream.

Histor. Placet. Post colloquium illud Bayonæ habitum plerisque in locis regni Hugonotorum querelæ exaudiebantur, quòd nonnulla de edicto per vim & iniuriam detraherentur, quòd multa à pace inita ad illud tempus, per quinquennium, contra quàm Rex statuisset, fierent, quibus vehementer lædebantur. Per id tempus Regina mater, Regio nomine, adiuuantibus suarum partium hominibus parum sanè pacis amantibus, delectum haberi sex millium Heluetiorum curauit: quibus postea introductis in Galliam, & in aulam accersitis, palàm edictum pacificatorium infregit: quum quidem Princeps Condensis vnà cum comitibus iter Regem instituisset, vt eum Meldis conueniret, suóque & reliquorum Hugonotorum homine disertè conquereretur de illo externarum copiarum aduentu in medium regnum atque adeo in ipsam aulam, quũ præsertim nulla appareret causa. Hæc pacis & Edicti violatio sic in tempore accidit, vt nisi Condensis cum suis diligenter sibi cauisset ab Heluetiis (qui rem totam longè aliter quàm habebat accipiebant) ad internecionem deleti fuissent: adeò callidè consilia sua struxerant.

Polit. Nos verò molestissimè ferebamus, qui quidem

in aula

in aula versabamur, quique regni quieti & Regis existimationi consulebamus. eum esse rerum statum, datam fidem publicam solui ab iis quibus vita ipsa charior esse debebat. In primis autem dolebamus id ab Heluetiis fieri: quæ gens semper est habita religionis iurisiurãdi præ omnibus obseruantissima. Videbamus enim fore vt tanquam è riuo, ex hac perfidia mare malorum in nos redundaret, atque adeo regni euersio consequeretur. Cuius regni quum socii sint Heluetii & fœderati potius quã Regis, illisque ex pecuniis Gallicanis pendantur quotannis stipendia, mirum nobis videbatur quid esset, cur ad eos iugulãdos venire non dubitarẽt, à quibus pensiones accipiebant. idque contra æquum, fœdus & fidem publicam. Iam verò quum sciremus in pagis Heluetiorum potentissimas & florentissimas esse respublicas, quæ eandem cum Hugonotis Gallis religionem profitentur, valde suspicabamur fore vt hoc incendium inter ipsos & in ipsorum patria oriretur, quo impedirentur quo minus ad trucidandos Hugonotos in Galliam venirent. Mirabamur insuper, quum videremus miseros Heluetios ad cædem duci ternis aut quaternis in singulos menses coronatis (cum multi sine dubio in Gallia interficiebantur) idque pro arbitrio trium aut quatuor ductorũ, qui ciuium suorum periculo ditescere volunt. At vtinam pro sex millibus armatorum Heluetiorum missi à Principibus fuissent sex cordatissimi & pacis amantissimi, qui docerent præstare, in huiusmodi bellis ciuilibus, vtcunque res habitura sit, eam factionem confirmare quæ morigeram se præbet, quàm quæ rebellionem & seditionem movet: eos esse morigeros, qui in salutaribus Regis edictis requiescunt. Hugonotos autem ea præstare quæ fidorum sint subditorum, si ea demum excipias quæ ad conscientiam pertinent. Cuius porro corporis membra ex dimidia iam parte perierint, id debilius esse quàm vt alteri resistere queat: in bellis ciuilibus nihil esse miserius ipsa victoria, quæ victorem non minus quàm

victum plerunque debilitat, tandémque in manus finitimi alicuius hostis tradit. Quare sententiam Machiauelli (quam sequi videntur qui sunt Regi à consiliis, dum populi factiones fouent) pernicioſam hæresim, quod ad remp. gerendam attinet, videri. Satius ergo esse totum seruare, quàm magnam partem perdere. Respublicas tum Heluetias tum Germanicas nihilo secius fortunatas esse & quietas, in quibus tamen eadem in religione varietas sit, quæ in Gallia comperitur. In summa, optassemus ea doceri à principibus Helueticæ societatis quæ iudicasſent pertinere ad salutem & commodum regni, ac non mitti ab iis proprios ciues ad commune & mutuum exitium. Verùm quid faceres? hiscere nõ licebat. neque quid sentires eloqui. Huc accedit, quòd Regis Legatus apud Heluetios Belleuerius eis persuadebat arma à Condensi sumpta esse ad Regem interficiendum & regnum occupandum. Ita Heluetiorum Duces fidem dictis habere videbantur, allecti præda & stipendiis quæ ad se redire perspiciebant: & qui pacem conciliare debebãt, omnium libentissime bella accendi videbant.

Historiog. Ista ergo quum sic haberent, Princeps Condensis quum videret non iam dissimulanter, sed apertè & serio agi, séque & reliquos Hugonotos peti, coacta non parua manu Lutetiam accessit, quò se Rex receperat, vt planius aduersariorum mẽtem perspiceret. Verùm cum illi impetu grauissimæ pugnæ & bombardarum strepitu responderetur, fortissimè compulsis in vrbem hostibus, se cum suis, vt tuto essent in nonnulla regni oppida recepit. Tum Principes Germani protestantes his auditis, quum ad se pertinere intelligerent quæ Gallis acciderẽt quos adeo vexari iniquè ferebant, Principi Condensi & Hugonotis copias firmissimas cum equitatus & peditatus auxilio miserunt, Duce Ioanne Casimiro Comitis Palatini filio. Is vbi in Galliam peruenit, Rex, Regina mater, fratres & qui à consiliis erant, quòd viderent quàm sibi difficile esset Hugonotos tum temporis opprimere

rursus

ursus pacē dederunt edicto publico mense Martio 1568. Quo eadem quæ antea conscientiæ & Religionis libertas est concessa, rata item habita quæ bello administrando gesserant dum arma deponerent, oppida occupata in pristinum statum restituerent, auxiliares Germanorum copias è regni finibus emitterent. Hugonoti statim imperata faciunt, quum tamen aduersa factio arma retineret. Vnde accidit vt Casimiro cum suis ex Gallia egresso, mox multa iniquè & crudeliter aduersus Hugonotos designari cœpta sint: ad extremum Princeps Condensis obsessus Nuceti domi suæ, quò se receperat, tantumnon oppressus est. Qui nisi se summa celeritate & industria cū vxore & liberis proripuisset, nisi fluminum quæ transeunda erāt vada commoda reperisset, denique nisi Rupellam amicam & fidelem vrbem offendisset, actum de illo erat. Is ergo vbi Rupellam venit, Hugonoti indignè ferentes toties sibi fidem datā solui, magno terrore perculsi sunt: mox verò quum se ex timore recreassent, vndecunque ad Principem Condensem, communem salutem quærentes, concurrerunt: inter quos Ioāna Albreta Nauarræ Regina leuito sese coniunxit, Principem Nauarrenum filium vnà secum habens, quem huic bello vix ex ephebis excedentem deuouit, simul quicquid monilium & pretiosæ supellectilis habebat: quæ omnia ad belli sumptus oppigerauit. Dux Bipontinus Princeps imperii, vbi intellexit recentem illam Gallicanam perfidiam, gratuitate rei commotus in Galliam mouit exercitum, & vnà cum eo Princeps Vranius, Comes Lodouicus fratres, Comes Māsfeldus, & alii Comites & Nobiles Germani cum septem aut octo millibus equitum, & peditum totidem. Interim Cōdensis diligentiæ nihil reliqui faciebat, oppida & arces oppugnabat, denique nihil prætermittebat quod ad se tuendum vel hostem lædendum facere intelligeret: quum Dux Andegauensis Regis Caroli frater, & in regio exercitu Imperator, maximo exercitu Cōdensem, qui tum exiguam suorū partem habebat, prælio ad

Iarnacum adortus vicit: quem etiam, quum in hostis potestatem deditione veniſſet, interfici à Monteſquio, quem in ſua clientela habebat, iuſſit.

Aleth. Princeps Condenſis quum hæc pericula tam intrepidè adiret, ſatis oſtendebat quàm procul abeſſet ab regni affectati crimine, obtrectatorúmque vanitatem & calumniam apertè refellebat.

Philaleth. Vera narras. Sed non leuiter etiam ab eo peccatum eſt, qui in paucorum clade omnium ſalutem qui ad eum ſe receperant, denique omnium Hugonotorum Gallorum in diſcrimen vocauit.

Polit. Huiuſmodi offenſiones non ſæpius quàm ſemel occurrunt, éſtque ab iis diligenter cauendum.

Hiſtoriog. Sic habet. Iam verò poſt mortem Condenſis reliquæ Hugonotorum copiæ ex communi primariorum cõſilio traditæ ſunt Gaſpari Comiti Colignio, Galliæ Amiralio, auſpiciis tamen Principis Nauarreni & Cõdenſis iunioris. Itaque quum toto exercitu occurrere vellent Duci Bipontino, qui illis auxilio venerat, eum morbo obiiſſe compererunt. Nihilominus tanquam fratres animo & religione, copias ſuas ſimul iunxerunt quibus poſt nonnulla oppida capta & res bellicas fortiter geſtas collatis ſignis cum Duce Andegauenſi dimicarunt ad Monticurtium, menſe Octobri, 1569. vbi etiam victi ſunt illi quidem, ſed non deſierunt tamen collecta manu in agris verſari, ſuáque pro viribus oppida totos decem menſes tueri: quo tempore nonnulla etiam alia ceperunt, multis locis cum hoſte manus conſeruerunt non infœlici ſucceſſu. Ad extremũ die 22. menſis Auguſti 1570. pax petentibus & cupiẽtibus data eſt, edicto à Rege ex Reginæ matris, fratrum, aliorum Principum, & Nobilium qui illi à conſiliis erant, cõſenſu. Quo inter cætera eorum omnium quæ bellis ciuilibus acciderant obliuionem ſanciebat, iudicia quoque & Senatuſconſulta ſuperioribus annis contra Lutheranos & Hugonotos Henrico Rege facta antiquari & irrita in perpe

perpetuum esse, quicquid hoc bello gestum fuerat, ratũ habebat, suæque & regni vtilitatis causa factum interpretabatur. quinetiam auxilia ipsa Germanica eódem referebat: Principem Nauarrenum & Condensem consanguineos charos; Principem Vranium, comitem Lodoicum, Nassouium & Mansfeldum, cognatos & amicos, Hugonotos autem fidissimos & obsequentissimos subditos vocabat: quibus confirmabat se concessurum vt libera conscientia religionis suæ ritus publicè vsurparent certis in ciuitatibus & ædibus nobilium qui iurisdictionem iusti tribunalis habebant. Et quoniam damnorum vtrinque acceptorum recordatio non tam facilè poterat ex animo euelli, vellet autem ipse malis occurrere, & consulere Hugonotis qui metu impediebantur quominus redirent, vt tantisper tutas sedes haberent, dum simultates lenirentur, commisit illis custodiẽda oppida, Rupellam, Montalbanum, Cogniacum & Charitium, quo esse recipererent qui non tam citò domum redire animum induxerant: ea tamen lege vt Nauarrenus & Condensis & viginti nobiles à Rege delecti iureiurando promitterent suo & suorum nomine, fore vt illa oppida Regi custodirent, & biennio exacto traderent integra ei quem Regi placeret præficere. Voluit denique Rex, vt firmior esset spes de custodiendo Edicto, quod ille in perpetuum irreuocabile edebat, fidem celeberrimo iureiurando dari ab omnibus Senatorii ordinis sedibus, prouinciarum prætoribus, & qui ad ius dicendum magistratu funguntur, omnes scilicet operam daturos vt illibatè & exactè seruaretur.

Alterb. In tot bellorum exitu mirum quiddam videtur, quod tamen passim homines non agnoscunt, Hugonotos ex pugna semper inferiores discessisse illos quidem sed causam tamen semper obtinuisse, vt qui libertatem conscientiæ & religionis iam inde à primo Edicto mensis Ianuarii 1561. impetrarint: vt quum vincerentur, victores tamen dici possent. Vnde perspicere licet, si quis peni

tus & absque studio partium vellet attendere, genuinam palmæ naturam, quæ veritatis symbolum est; ea enim quo grauiore pondere premitur, eo magis assurgit & erigitur.

Philalet. Sic est. Vnum autem illud miror maximè, quod etiam expedire nondum potui, vtrum ex iis maius esset, in Hugonotis patientia, obedientia & fides, an in aduersariis furor, odium & perfidia.

Aleth. Enimuero hanc quæstionem soluere ex facili non fuerit. Sed Hugonoti profecto si causæ æquitatem probare, & se coram Deo & hominibus purgatos esse cupiebant (qui seditionis passim insimulabantur) præ se ferre omnino debebant mansuetum animum & tum Regi tum eius ministris, iuxta Deum, dicto audientes se præbere.

Philalet. Sanè: [illegible] nimis sæpe in eos apologus ille lupi Æsopicus verus efficiebatur, qui quum è profluente biberet, cum agno, qui secundo flumine longè inferius bibebat, expostulabat, quòd aquam bibenti exemplo patris turbaret, vt ex ficta accusatione iugulandi occasionem arriperet.

Polit. Missa hæc quæso faciamus, ne narranti Historiographo molesti simus.

Historio. Facto & promulgato hoc edicto, omnes magistratus se illud obseruaturos sanctè iurarunt, Hugonoti auxilia Germanica remiserunt, & in cæteris se prorsus ad voluntatem Regis conformarunt, quatenus hoc edicto significabatur. Regina Nauarræ, Princeps Nauarrenus, Princeps Condensis, Amiralius, Comes Rupefocaldus, & plerique alii primarii & nobiles se Rupellam receperunt, fide data, vt decebat, qua pollicebantur eam se Regi seruaturos: vbi quam maxima dici potest pace & quiete viuebant. Ad eundem modum Nobiles quidam literati & mercatores iisdem conditionibus reliqua tria oppida, quæ perfugio data erant, incolebant: cæteri omnes Hugonoti domum reuersi, suo

se quis

se quisque in vitæ genere quietè continebant non aliter ac si nunquam antea vllam iniuriam accepissent. Rex Carolus ostendebat sibi magnopere placere vt Edictum accuratè seruaretur, sæpe sacram Dei mortem & sanguinem deierans effecturum se vt omnes parerent, se iam vera non creditutum quæ de Hugonotis dictitabantur, eædem nempe sui Regis machinatos esse: maiorem esse illorum in se fidem quàm vt tanti sceleris suspicio in eos caderet. Regis autem frater non ita vultum fingere poterat, vt vel tantillum sibi gratum esse ostenderet quietem tutam concedi Hugonotis: imò apertè demonstrabat parum id sibi cordi esse: adeo quidem vt illi cum Rege parum nonnunquam conuenire videretur ob tantam studiorum dissimilitudinem. Qui Regi chari erant, videbantur à fratre odio haberi: contrà, quos frater amabat, ii Rege in speciem non tam benevolo vti videbantur: vt multi, quum viderent quàm gratiosi essent Hugonoti, palam prædicarent cor Regis illos furatos esse. Verùm quoniam multis in locis regni malè tamen accipiebantur, missi sunt ad Regem tum à Regina Nauarræ, principibus Nauarreno & Condensi, tum ab Amiralio quatuor eximiæ notæ Nobiles, Bricomaldus pater, Regi à multis annis fidissimus, & ex veteribus Galliæ militaris rei administratoribus, Telinius Amiralii gener, Lanoæus Telinnii sororius, & Cauanius fratus Tolosani Consiliarius, qui docerent quot modis iniuria piis fieret contra ipsa edicti verba, supplicésque rogarent vti sibi præsidio esset, & ius redderet, quemadmodum populus à Principe suo expectare solet. Rex humanissimè illis acceptis, & benigne auditis quæ conquerebantur, rem sibi magno dolori esse ostendit, se hanc rem acerrimè vindicaturum pro more deierans respondit, supplicium que de seditiosis tale sumpturum, vt in posterum perpetua futura esset memoria. Regis frater tametsi in Hugonotos odium nec deponere tam citò nec etiam dissimulare posset, pro eo nimirum ac

Ecclesiæ Romanæ (à qua bis centena Francorum millia pensionis nomine accipit) addictus est: subinde tamen spem faciebat nobilibus fore vt aliquando leniore illo vterentur. Rex verò pergebat vultu illos amico intueri, nonnullos eorum muneribus donare, inter cæteros Cauanium libellis supplicibus in regia præfecit, Tellinio pecuniæ quandam non leuem summam dedit: qui etiam Regi egregium equum Rabicanum (sic vocantur equi à pedibus albis) obtulit, item alium paruum, qui nullo sessore se tamen in omnes formas numerosè vertebat, quem Rex plurimi à se fieri & admirationi haberi præ se ferebat. Aulici fere omnes lætari videbantur, quum delectos illos in aula conspicerent, omnes belli simultates à se depositas simulabant, aulicæ familiaritatis nihil reliquum faciebant, superiores necessitudines denuo in speciem certè vsurpabant. Præ cunctis autem Rex & Regina mater cupere se fingebant vt Regina Nauarræ, Princeps Nauarrenus, & Princeps Condensis, ipse denique Amiralius in aulam venirent, vt suspicione omni posita humaniter ab eo & amicè, vt facere cogitabat, exciperentur. In primis autem cupiebat Rex affinitatem cum Nauarreno inire, quem atquè ac fratrem diligeret, velle se ei sororem in matrimonium dare, certò scire se hanc rem, præter quàm quòd tum conduceret ad renouandas pristinas affinitates familiæ Nauarrenæ cum Valesia, tum testimonio esset egregiæ voluntatis, qua Rex, Regina mater & fratres Reginam Nauarræ & filium complecterentur, hunc quoque facturam, vt in posterum status Gallici quietè firmaretur, & eximeretur quicquid suspicionis in Hugonotorum animis subesse poterat, nequid sibi periculi comparatetur. Proinde omni ratione Delecti Reginam Nauarræ, Principes & Amiralium huc adducerent, vt de Regis summa erga se voluntate ne dubitarent, nihilque Regi optatius esse quàm vt illi ad aulam quam primum accederent.

Dele

Delecti illi, læti quòd ea viderent quæ nunquam putassent aut speraſſent accidere posse, sæpe scribebant, & ex iis aliquis Rupellam adibat, mira illic narrabat de sermone, gestu & animo Regis. Mareschallus Mommorencius & fratres, consanguinei Amiralii, nihil non tentabant quo fidem facerent Regem & reginam optimo esse in Hugonotos animo: hoc enim sibi compertum esse, Regem in animo habere concordiam inter Amiralium & Ducem Guisium sarcire, quo commodius Amiralii deinceps opera & consilio in rebus gerendis vteretur aduersus maximè Hispaniarum Regem à quo tantopere delusum & tam multis affectum se dicebat incommodis: quippe qui inter cætera primas sedes in Concilio Tridentino, apud Venetos, tum Romæ ambiisset; qui Gallos in Florida Antarctici orbis parte, à quibus nullam iniuriam acceperat, profligasset; toxico Carli sororem sustulisset, eique cum animam ageret, dextram porrigere recusasset: & nuper Marchionatum Finalium sibi oblatum præuertisset: quinetiã spem nonnullã subinde dabant Mommorencii, fore vt propediem Guisiani tam inuidia flagrarent in aula, quam nunc gratia valeant. Bironius aliquoties missus est ad Reginam Nauarræ, Principes & Amiralium, & alii plerique Nobiles Hugonoti crebrò in aulam eius rei causa veniebant. Rex interim delegatos cum mandatis ad quædam regni loca dimisit, qui de iniuriis quas sibi fieri Hugonoti conquerebantur, inquirerent: & Rotomagi aliisque quibusdam locis sumptum est supplicium de nonnullis qui post pacem Hugonotos aliquot tum viros tum mulieres, qui è concione sacra redibant, interfecerant.

Delecti cum Mommorencii persuasi, persuaserunt postea Reginæ Nauarræ, Principibus, Amiralio, Comiti Rupefocaldo & cæteris omnibus tum nobilibus tum aliis Hugonotis Gallis, egregia esse in illos voluntate &

animo Regem & Reginam, quod sibi benè exploratum esse credebant, post multam tamen vtrinque habitam disceptationem, quum illi reclamarent, difficultates & incommoda plurima adferrent. Rex in aulam accersiuit Comitem Lodoicum Nassouium, Principis Vranii fratrem, qui ab vltimæ pacis tempore Rupellæ agebat, cum eo egit de iis quæ aduersus Regem Hispaniæ molieba-tur, vt iniurias ab illo acceptas vlcisceretur: eum multis beneuolentiæ signis pellexit, & cum eo rem maximi momenti suscepit, quæ nonnulla ex parte ad exitum perducta est, de Belgio occupando, opera ipsius Lodoici, Lanoæi & multorum aliorum ex nobilitate Gallica, quibus postea, quum in oppido Montium obsiderentur, Rex auxilio misit Genlium cum quatuor millibus tum equitum tùm peditum. Hæc porro Regis cum Lodoico communicatio occasionem præbuit, vt Princeps Vranius numeroso exercitu in Belgium ingrederetur, quod pene totum à Rege Hispaniæ defecit, occuparet Hollandiam (quam etiamnum tenet) cum maxima Zelandiæ parte: vnde fortassis nunquam depelletur.

Amiralius istis fidem habuit, & se à Mareschallo Colsæo duci passus, vt voluntati Regis satisfaceret, Blæsas accessit. Huic Rex, quoniam sibi à Guisianis metuere videbatur, per literas concessit habere circa se quinquaginta nobiles armatos, quibus comitatus in aulam accederet. Postquam illuc venit, receptus est quam maximis fieri potuit amoris significatione. Rex cum sæpenumero remotis arbitris de rebus præcipui ponderis differentem audire voluit, præ se ferens ei de sua & regni salute non aliter quàm patri fidem habere. Dum hæc geruntur, Rex nuptias fratris sui cum Regina Angliæ ambire cœpit, misso huius rei causa ad ipsam legato: cum qua etiam fœdus & societatem ineundam curauit, quæ postea icta est gratulantibus supra modum Hugonotis, quibus hæc societas pignus quoddam summæ Regis in ipsos beneuolentiæ videbatur.

Alex-

¶ *Aleth.* Memini post primum bellum ciuile Gallicanum missum fuisse à Rege Mareschallum Velleuillanum in Heluetiorum fines; qui cum senatu populóque Bernatum de fœdere ageret: verùm illos negasse facturos, nisi simul polliceretur se exactè Edictum pacificatorium obseruaturum. De hoc autem Anglicano fœdere nihil audire me memini.

Histori. Ne ego quidem compertũ habeo qui factum fuerit. Per idem ipsum porrò tempus aliud fœdus inibat cum Regina Angliæ & Principibus Germanis Protestantibus: aliud item se paratim cum Duce Florentiæ, ad quẽ miserat Ioannem Galeacium Fregosam Genuensem; qui rediens omnia fœlicitèr confecta nuntiauit, polliceri Ducem se mutuò daturum ducatorum C C M; ad sumptus belli aduersus Philippum in Belgio gerendi. Hoc quidem certè Amiralio & delectis palàm dictitabat.

Regina Nauarræ tandem aliquando ad Regem accessit, quã ille prædicabat amitam optimam, dilectissimam & optatissimam omnium quæ vnquã in Gallia fuissent: Regina mater vt charissimam sororem excepit, totã deinque aulã aduentum illi faustum mirificè, sed bifariam gratulabatur. Matrimonium Principis Nauarreni cum Margareta Regis sorore ibi post nonnullas de ritibus & cæremoniis controuersias tandem constitutum est. Placuit sponsalia quæ fiebant à Cardinali Borbonio recipi; sic tamen vt nihil admisceretur ex Rom. Ecclesiæ cæremoniis, nequa vis Principis Nauarreni conscientiæ fieret. Aliquanto pòst Regina Nauarræ omnibus ex animi sententia gestis, Blæsis Lutetiam venit: Amiralius quoq; paulo ante domum redierat. vbi sæpe literas & nuntios à Rege accipiebat, quibus illum de rebus quæ occurrebant consulebat, quasi in rebus grauissimis nihil eo inconsulto vellet statuere. Regina Nauarræ quum Lutetiã ex aula venisset, morbo decubuit, & quinto die mortem obiit, anno ætatis circiter 43, veneno in quibusdam epulis propinato, quibus Dux Andegauensis intererat,

vt quidem mihi à domestico ipsius aliquo narratum est. Verum hac de re nihil euulgatum est, ne qua occasio daretur impediendi matrimonii, quod tantopere à pacis amatoribus expetebatur, quorum animos nulla occupabat suspicio.

Alet. Solet Dominus suos in pace ex hac vita quacunque ratione reuocare, quum populum graui calamitate vult afficere. Id promisit & præstitit Iosiæ Iudæorũ Regi ceu singulare quoddam beneficium.

Phil. Equidem suspicabar grauẽ quandam acerbitatẽ imminere quũ piam hãc Heroinã emigrare audiuimus.

Hist. Eodem tempore ex multis Galliæ locis Amiralius libellos varios accipiebat, quibus monebatur vt sibi caueret, liberaret se iis periculis quæ illi tum in aula, tum Lutetiæ parari dicebantur. Inter cætera quidam mihi ignotus scriptum ad eũ misit in hæc verba: SIC HABETO, CAPVT ESSE FIDEI constituti in concilio Constantiensi (vbi Ioannes Hus cõtra fidem publicam ab Imperatore datã combustus est) nõ esse seruãdam hæreticis fidem: Lutheranos verò, Hugonotos & qui idem Euangelium profitentur (quocunque tandẽ appellentur nomine) à Romanensibus, Lotaringis & aulicis haberi pro hæreticis incendio dignis. Quamobrẽ nihil est quòd dubites quin quam antea soluerunt, tam in posterum soluere fidem parati sint, quoties facultas dabitur, vt illos funditus delere possint. Hoc scito, in cœtu intimo Concilii Tridentini Patribus visum esse, vt non solùm Galli hanc religionem profitentes, verùm etiam vniuersi cuiusque gentis, quot quot eam vel summis labris gustarunt, trucidẽtur, quòd fieri nequeat vt qui eam semel imbiberunt, possint vnquam probare quæ à sanctitate Romana docentur, postquam perditos illius mores & corruptelas patefecerunt. Ne dubita quin Regina mater perfectura sit quicquid in gratiam Hispaniæ Regis Duci Albano Bayonnæ pollicita est, de violandis edictis & excindendis Hugonotis, siue vulpina siue leonina pelle.

elle. Cogita Regi datos esse præceptores à duodecim nis, à quibus didicit sacrum Dei nomen profanare, ierare, scortari, fidem, religionem, cogitata mentis dis-mulare, vultum fingere. In primis verò eum cruori as-fecerunt, principiò in feris conficiendis, deinde in po-pulo ipso. Animaduerte Regem ex dogmatibus Machi-uelli instituturum esse, ne in regno religionem aliam pa-tiatur quàm eam cui innititur rerum suarum status, quã sibi probari, imò falsa ipsius miracula præ se ferre debet. Sic statuito, hanc illi cantilenam inculcatam & ingemina m sæpe fuisse, non posse regni statum quietum & tu-m esse, quoad duæ extabunt religiones. Obserua sæpe Regi nuntiatum esse Hugonotos necem illi ma-chinari: quod vt verisimile fieret, multæ ostensæ sunt literæ, tanquam interceptæ essent, quibus nefaria con-silia continebantur. Quin ipse à fide dignis hominibus ccepi, quo die Nauarræ Regina Blæsas aduenit, eum atri dixisse, Annon scitè personam meam sustineo? Cui illa, Nihil actum est, inquit, pergendum est. Tum ille cum sacrilega execratione, Faxo, inquit, vt omnes ir-ritos habeatis, si quidem me sinetis facere. Falleris si putas Regem quempiam aut principem vnquam cõces-sum subdito, qui quidem ad aliquam factionẽ contra ip-sius voluntatem sese adiunxerit (quæcunque tandem cau-sa fuerit. æqua an iniqua) vt iure & beneficio legum frua-tur. Illud potius sic statuas velim, hoc illos infixum ani-mo habere, vt armis vindicent quod contra se armis pu-tant esse factum.

Quicquid enim Reges & Principes (qui conscientiæ rationem nullam habent) putant à se factum esse metu aut necessitate, id sibi violare statim permittunt, vbi altera harum causarum deest. Est apud illos ratum hoc axioma, standum non esse pactis quæ Principi cum subditis armatis intercessérunt: imperii gratia fas esse, ius & fidem violare, pueros verbis & promissis fallen-dos esse, viros iureiurando etiam solenniter dato. Hæc

est illorum Theologia, hæ sunt sacrosanctæ leges, quas transgredi non audent, quum parum aut nihil pensi habeant si reliquas leges diuinas, naturales, ciuiles, gẽtium aut municipales violent, quippe quas suæ quieti, amplitudini & suis rationibus aduersas dicant.

Subiiciam autem nonnullas ex singularibus eorũ virtutibus. Antoninus Commodus quum nõnunquam voluptates, quibus totus immersus erat, intermitteret, ne nihil agendo tempus nequicquam tereret, contemplationi deditus meditabatur & designabat nefarias cædes aduersus Nobiles imperii. Inter cæteros Iulianus Prouinciæ cuiusdã prætor apud illum gratiosissimus, quem solebat deosculari & amplecti, patrem & corculum appellare, per proditionem & perfidiam ab eo interemptus est. Antoninus Caracalla quum Alexãdriam veniisset, infestus ciuibus, quod in eum versus quosdam iactassent, cupere se finxit iuuenum bello aptorum delectum se spectante haberi: ad quam rem quum parari iussisset, trucidari eos præcepit à militibus Romanis quibus comitatus venerat, dato illis negotio vt suum quisque hospitem noctu iugularet. Tãtam Alexandriæ stragem edidit, vt numerum occisorum non iusserit iniri: verum hac de re ad Senatum Romanum scripsit, nihil opus esse sciscitari quam multi & quales interfecti essent: satis esse quòd omnes debitas pœnas dedissent. Lysander Lacedæmoniorum imperator specie amicitiæ accersitos ad se octingentos Milesios necidedit. Seruius Galbæ ciues trium Lusitaniæ vrbiũ conuocauit, quasi cum illis de rebus ad ipsos pertinentibus agere instituisset: ex iis fortissimos & præstantissimos ad nouem millia delegit, quos armis exutos partim occidit, partim vendidit. Antonius Spinola Genuensium Corsicæ legatus fide data Principibus & primariis viris totius insulæ, eos ad cõsilium, deinde ad conuiuium inuitauit, quos capite obtruncauit. Carolus septimus Galliæ Rex post multa bella & graues motus in Gallia exortos, fœdere se & affinitate cum Duce Burgundiæ

gundiæ coniunxit, promisit omnes simultates & inimicitias se depositurum. Iureiurando ad hostiam consecratam facto, vt rem confirmaret illum ad Monterellum accersiuit, vt hilariter exciperet; tandem in ponte per fidem in colloquio circumuentum interfecit. displeasures

Alia in hanc sententiam plurima possent adferri, nisi tædium parerent. Quæ exempla subinde Regi in memoriam reducuntur, vnà cum 18. cap. libri Machiauelli, cui titulus est Princeps, quo docet quemadmodum fides sit seruanda Principibus. In quem locum præceptores Regis (quibus tam chara est illius cõscientia quam existimatio) multa commentariorum vice addunt, ipso textu periculosiora. Quæ quum ita sint, vide diligenter quo pacto tibi consulas, quum nulla sit euadendi ratio, nisi exeas aula, quam iure Sodomam possum nominare.

Inspecto hoc scripto Amiralius acerbo valde vultu eum à quo acceperat, respondere iussit scriptori, antea tum sibi tum reliquis Hugonotis nonnihil fuisse causæ cur facilè pollicitis fidem non haberent, nunc verò Dei optimi Maxim. merito hunc timorem nullo fundamẽto niti: prouidentia diuina, qua etiam minima quæque administrãtur, mutatum esse cor Regis, vt summa iam omnia sperare meritò oporteat. Se nunquam adduci posse vt eò sceleris prorumperet: sibi contra persuasum esse post Gallicum regnum constitutum meliorem nullum Regem extitisse hoc Carolo nono. Regis quidẽ fratrem iniquiore esse in Hugonotos animo, & variis in locis regni multas illis iniurias fieri: sed sperare se fore vt officiis Hugonotorum expugnatus olim leniorem se præberet, quinetiam post nuptias celebratas sumptum iri de seditiosis hominibus, qui pacem turbarent, supplicium. Fœdus illud cum Angliæ Regina ictum, satis firmum esse Hugonotis regiæ erga illos voluntatis testimonium, quod etiam longè firmius futurum esse è fœdere quod cum Protestantibus Germanis ambiat. Regem, quia Electorem Palatinum præ cæteris Protestantibus com-

plectitur, delegisse Ducem Ioannem Casimirum eius filium, quem pensione amplissima honestaret, Ducem quoque Christophorum minorem natu in aulam accersere, quem pro dignitate ornaret. Eundem quoque ex Anglia habere velle Lyceſtrium & Burgleium primarios Nobiles, aut alterum certè ex illis, vt eam erga ipsos comitatem præstaret, qua fidelissimos quosque sororis suæ Reginæ Anglicanæ seruos in signum veri fœderis complecti desiderat: missos à Rege ad Principem Vranium, qui fidem illi darent, vt ipsemet Comiti Lodoico dederat, opem se illis laturum aduersus Regem Hispaniæ esse: absque eo enim nihil illos in rerum Belgicarum statu moturos fuisse. Itaque tametsi Genlius cum suis infœliciter pugnasset, nihilo tamen secius Regem illis rursus alias validissimas copias subsidio missurum. Ioannem Galeachum Fregosam confirmare à Duce Florentino mutuò datum iri Regi vel ipsi Principi Vranio CCM ducatorum. Res Belgicas tam prosperè geri, vt Regis apud Ducem Albanum legatus Principem Vranium certiorem tum per literas tum missis nuntiis faciat, quicquid ex Albani consiliis potest expiscari: Principem quoque idem viciſſim facere. Proinde vt nihil aliud sit quàm illa consiliorum communicatio, satis tamen in ea causæ esse ad spem etiam timidissimo cuique faciendam. Verùm longè id maius esse, quòd exercitus qui cum Strosio & Barone Gardiæ est, non ob aliud esse apud Rupellam, quàm vt classem Hispania redeuntem expugnet, deinde Flessingam nauiget, vt cum Principe Vranio coniunctis copiis bellum aperte geratur: cuius rei causa ex consensu Regis missas esse à Principe Vranio pecunias ad Strossium, cuius promptissimus est animus, ad nauium & triremium stipendium. Quod verò ad se priuatim & controuersiam cum Duce Guisio attinet, Regis iussu compositam esse, qui illos se autore & arbitro ad iusiurandum mutuum adegerat, amicitiæ colendæ operam se daturos.

turos. Addidit postremò Amiralius miraculum illud connubii sororis Regiæ, omnis fidei caput & colophonem, tanti apud se esse (quo nimirum sororem non tam Principi Nauarræ quam vniuersis Hugonotis imò quodammodo se illis matrimonio deuinciret) vt tum Nobilem illum à quo scriptum istud accepisset, tũ alios quosuis rogaret, si gratum sibi facere studerẽt, ne deinceps de acerbitatibus illis præteritis verbum facerent: satis omnibus esse debere vt gratias Deo agerent, cuius tam singulare extaret beneficium, vt res ad tam pacatum locum deductæ essent.

Dum hæc geruntur, Rex Nauarræ (qui antea Princeps erat) & Princeps Condensis, quum ab omnibus vndique solicitarentur vt in aulam se conferrent, tandem ad Regem venerunt (Lutetiam nempe, quò ille demigrarat ad celebrandas sororis nuptias) comitati plurimis nobilibus & Baronibus Hugonotis, quibus tota pene aula obuiam processit. Excepti sunt à Rege, Regina matre, fratribus, sorore & reliquis Principibus, splendore eo quem optare potuissent. Ibi aliquot dies lætos sumpserunt, dum adesset dies nuptiis dictus. Qui cum variis de causis producebatur, tum Cardinalis Borbonius, qui sponsalia nuncupaturus erat, religione impediri se prædicabat quo minus id auderet, nisi relaxationem à Pontifice obtineret: quàm quum accepisset, neque satis amplam iudicaret, rursus Romam eundum fuit, quo aliam quæ idonea videretur haberet. Rex interim indignari se simulans; quòd res tandiu differretur, cum execratione iurauit sibi placere rem quamprimum perfici: quòd si recusaret Cardinalis Borbonius, se coniuges ducturum ad concionem Hugonotorum, vt illic à Ministro concionante negotium transigeretur, nolle se suam Margotium (sic enim nomen Gallicum inflectens, deliciarum causa sororem vocabat) diutiùs amore consabescere.

Aleth. Oh! bona merx: non tamdiu expectauerat.

Sciebat frater ipsius, qui nunc Rex Poloniæ est, se primã ipsius corporis vsuram cepisse, & illi virgini obtulisse vitium.

Hist. Istud nesciebam: neq; amplius audieram, quàm iam eo tempore prægnantem fuisse & partui vicinam, cum Regina Xantones proficisceretur.

Aleth. Prorsus ita est. Sed vides egregiis istis Principibus incestum pro ludo esse & ioco, vt ne propinquarum quidem virginitatem impollutam relinquant. Rex quidem Hispaniæ, & Archidux Carolus, nonne sororum filias duxerunt?

Histor. Sic est. Sed Papa pro suo iure illos religione exoluit.

Aleth. Siccine verò licuerit homini peccatori legem Dei abrogare & eius vinculis alios soluere! O qualem seruum seruorũ Dei! Spero tamen, spero matrimonium istud Regis Hispaniæ cum filia sororis & sobrini sui Imperatoris, ex quo matrimonio qui oriuntur liberi, simul sunt filii, ex sorore nepotes & sobrini, extremam perniciem Romæ, Papæ & Papatui allaturum.

Hist. Quomodo istud fieri potest obsecro?

Aleth. Rege Hispaniæ mortuo, Imperatoris filii proximo gradu ad Regni hæreditatem vocantur: (Nam filiam quæ ex Isabella Regis Galliæ sorore nata est, Hispanus non agnoscit pro sua, neque legitimam esse existimat) Liberi ex isto matrimonio susceptí, contendent ad se Regni successionem pertinere. Proximi agnati dicent illos esse spurios & ex incesto natos: iccirco verorum hæredum ius obtinere non posse: At (excipient isti) matrimonium, vnde orti sumus, indulgentia & dispensatione Papæ iustum atque ratum factum est. Tum legitimi: at seruus (ne vltra dissimulemus) suprà Dominũ non est: Quod Deus prohibuit: Papa permittere non potest: & eum Antichristum diu destinatum esse dicimus. Ad summam ea occasione falsi istius Pastoris auctoritas in controuersiam & discrimen vocabitur: patebunt impo-

storis fraudes: neque diutius tolerabuntur.

Hister. Vtinam propitius nobis adsit Dominus: nimium multa signa & argumenta ad eam rem ducunt: leuioribus quidem causis, quam ex regnum Hispaniæ, sæpenumero bella suscepta sunt. Sed ad propositum reuertor. Ergò, ne longum sit, nuptiæ Regis Nauarræ & Margaretæ sororis Regis celebratæ sunt maximo apparatu die Lunæ 18. Augusti. Principes, Comites, Barones & alii Nobiles insignes Hugonoti fere omnes aderant, quorum nonnulli ipsas vxores & liberos adduxerant: vt numero esse possent circiter mille Nobiles. Totum sequens triduum absumptum est omne genus variis ludis & spectaculis, quibus sæpenumero Amiralius intererat, amico vultu à Rege exceptus. Die Mercurii Amiralius quum vellet Regem de seriis quibusdam conuenire, Rex subridens petiit concedi ad oblectationem triduum aut quatriduum, fidem Regiam astringens, se non ante Lutetia discessurum quàm illi & reliquis quibus cum illo res erat, satisfeciisset.

Paucis antè diebus præter superiora illa quæ commemorauimus; Amiralius certior factus fuerat cæsos à Papistis Trecensibus aliquot Hugonotos, quum à concione redirent: Rotomagos & Aurelios minari finem futurum concionum, exacto statim post pacem biennio. Inter aulicos Nobiles exaudiri obscuros quosdam rumusculos, fore vt ante finẽ mensis Augusti prohiberentur conciones: quinetiam multos Nobiles Catholicos sponsione cum Hugonotis cõtendere, ante quatuor menses illos missæ interfuturos: spargi inter primo res Lutetiæ rumorem, in his nuptiis plus sanguinis effusum iri quàm vini. Commissarios, Centuriones & Decuriones Lutetiæ nonnulla machinari, quæ facilè, si quis attenderet, illustrari possent. Aduocatum curiæ Parisiensis Hugonotum magni nominis à quodam Præside admonitum fuisse, vt si sibi & suis consultum vellet, cum familia ad aliquot dies Lutetia excederet. Multa huiusmodi alia

in vulgus efferebantur, de quibus etiam Amiralius certior fiebat. Addebant seditiosorum factioni optatius nihil esse quàm vt Hugonoti delerẽtur: ad quod maximam loci & temporis facultatem dari. Quare quum hanc expeterent & possent perficere, nihil aliud ab his esse expectandum. His omnibus Amiralius intrepidus, sui semper similis, sinceritate Regis fretus, permoueri non potuit vt quicquam turbæ fieret.

Die Iouis in consilio Regis intimo nuntiatum est conspectos esse cetros equites tum in prato Clericorum quod appellatur, tum in plateis Lutetiæ, cum sclopetis & tormentis aliis quibus interdictum esset. Responsum est à quodam, esse fortasse nonnullos qui parabant se ad eum delectum qui oblectationis causa habendus erat. Die Veneris 22. Augusti mane habitum est consilium in Lupara, vt expostulationibus Hugonotorum prospiceretur. Regis frater, qui præerat, quum citius quàm pro more exiisset, Amiralius, qui intererat, cum aliis Nobilibus egressus est. Quum se domum reciperet, obuius factus est Regi è sacrario quod est è regione Luparæ exeunti, quem prosecutus est ad sphæristerium vsque, vbi Rex & Dux Guisius cum Tellinio & alio quodam aduersi ludebant. Inde egressus Amiralius vt pransum iret, comitatus duodecim aut quindecim Nobilibus, ex quibus ipse etam, nondum centum passus processerat, quum è fenestra clathrata ædium in quibus Villemus habitabat, Ducis Guisii præceptor, tribus globulis sclopeto ictus est, quum quidem supplici libello legendo pedibus iter facientis intentus esset. E globulis vnus indicem manus dextræ abstulit, altero sauciatus est in brachio læuo ad carpum, egrediebatúrque globulus ad cubitum. Tum dexter illi aderat Guerchius, qua petitio erat globuli, sinister Prunesius maior natu: qui vnà cum cæteris omnibus valde obstupefacti sunt & attoniti. Amiralius autem nihil quicquam dixit, tantùm locùm indicauit vnde hoc acciderat: rogauit Capitaneum

pitaneum Pilleſium, qui huc forte aduenit, vnà cum Monino, Regi hoc iret nuntiatum, iudicaret ille quàm egregia eſſet fides, id nimirum dicens propterea quòd in gratiam cum Duce Guiſio rediiſſet. Alius quidam Nobilis quum Amiralium ſaucium videret, propius ad eum acceſſit, brachium læuum ſuſtentauit, vulnus ſtrophio colligauit, dextrum ſuſtinebatur à Guerchio: ad hunc modum domum deductus eſt ad CXX fermè paſſus. Quum iter facerent, Nobilis quidam illum monuit, periculum eſſe ne globuli veneno tincti eſſent: cui Amiralius reſpondit nihil euenturum niſi diuino nutu & conſilio. Statim à quibuſdam Nobilibus è comitatu Amiralii fores ædium vnde coniecti fuerant globuli, effractæ ſunt: repertum eſt ipſum tormentum, non vir, pediſſequus quidem certè vnà cum ancilla ædium deprehenſus eſt: ipſe ſclopetarius per poſticum aufugerat, qui iter eſt ad clauſtrum D. Germani Antiſſiodorenſis; ibi paratus ad fugam cuſtodiebatur equus inſtructus ſclopetulis ad ephippia. Hunc equum conſcendit, & porta Antoniana egreſſus eſt. Vbi quum offendiſſet equum Hiſpanicum, qui ſeruabatur, priore relicto illum conſcendit, & celerrimo curſu contendere cœpit.

Rex audito Amiralium vulneratum eſſe, ludere deſtitit (ludebat enim cum Guiſio) reticulum in terram deiecit, & vultu in ſpeciem mœſto in cubiculum ſe recepit. Guiſius item paulo poſt Regem è ſphæriſterio egreſſus eſt. Ancilla quum interrogaretur, reſpõdit Challium (is eſt præfectus prætoriæ cohorti, & negotiorum Guiſii curam præcipuam gerit) pridie eius diei hunc ſclopetarium in ædes duxiſſe, & diligenter hoſpitæ commendaſſe. Curſor verò miſſum ſe prima luce fuiſſe ab hero ad Challium mandatum, daret ille operam vt parati eſſent equi quos promiſerat. Quod ad nomẽ heri attinet, ſe non ita pridem ad illum veniſſe, neque aliter nominari audiuiſſe quàm Bollandum, ex prætoria Regis cohorte: at reuera fuit Montreuellius quidam Briæus,

qui bello superiore per proditionem Moyum interfecit.

Rex Nauarræ, Princeps Condensis, Comes Rupefocaldus & complures alii proceres, Barones & Nobiles Hugonoti re audita, statim Amiralium inuiserunt, quò etiam nonnulli Nobiles Catholici venerũt illius amici, qui omnes hominis vicem vehementer dolebant. Vulneribus à præstantissimis medicis curatis, Rex Nauarræ & Princeps Condensis Regem adierunt, apud quem pro atrocitate facinoris conquesti sunt, se iam tutò Lutetiæ non esse posse, etiam atque etiam rogare vt inde exire & aliò se recipere concederet. Rex tantam calamitatem deplorare, illos consolari, iureiurando confirmare se tales pœnas de autore & consciis sumpturum, vt Amiralius cum suis abunde sibi satisfactum esse dicturi sint: interim ex aula ne discederent, vindictam sibi relinquerẽt, statuerẽntque se propediem prospecturum. Regina mater quum ibi esset, sibi rem valde dolere simulabat, magnam Regi factam esse iniuriam. Enimuero hoc si sic abiret, cras ausurum esse aliquem idem in Lupara designare, postea in ipsius lectulo, postremo in ipso sinu & complexu. His artibus Rex Nauarræ, Princeps Condensis & reliqui Nobiles Galli Hugonoti Lutetiæ retenti sunt. Quum autem nonnullis ipsorum Amiralium domũ suam (quæ est Castellione ad Loniam Lutetia bidui itinere) deduci placeret, Rex vt hoc consilium impediret, cubiculum in arce Luparæ obtulit, quò se reciperet; sin propter vulnerum dolorem locũ mutare non posset, daturum se ex prætoria cohorte milites qui tum ædes tum ipsum seruarẽt. Quæ vbi Amiralio sunt nuntiata, gratias Regi maximas egit: & quoniã satis tutum se in ipsius secundum Deum tutela credebat, sibi vlla alia custodia opus esse negauit. Tamẽ eo die iussu Regis milites circiter mille præsidiarii locati sunt. Interim dimittuntur qui facinorosum illũ insequantur. at ille fugiẽs quũ Villanoua Sangeorgii iter faceret (vbi etiã alium equum cõscendit) palam dicebat, Nullũ iam habetis in Gallia Amiralium.

Dum

Dum hæc geruntur iubet Rex Nanczo vni ex Prætorianorum ducibus, Challium caperet, & in custodiã traderet. Verùm ille iam euaserat, aut certè tam appositè latebat, vt reperiri non placuerit. Eo die Rex literas ad omnes Prouinciarum prætores & præcipuarum regni vrbium magistratus, item ad suos quos apud exteros Principes legatos habebat literas dimisit, quibus quid accidisset significabat, operam se daturum vt autores & machinatores tam nefarii sceleris patefacti debitas pœnas luerent: declararent illi interea quam molestè hoc sa cinus ferret. In eandem sententiam eo ipso die Regina quoque mater ad eosdem scripsit. Rex eodem die post prandium (quod sanè breue sumpserat) hora fere secũda pomeridiana, comitatus maure, fratre, omnibus Galliæ Mareschallis, demptο Mommorêcto (is enim pridie eius diei venatum abierat) equite Angolismensi, Duce Niuernensi, Chauinio, multisq; aliis Capitaneis Amiralii inuitis, qui incredibili cupiditate eum alloquendi tenebatur. Quem vbi audiuit Rex flebiliter se gemere simulans, vlcus affirmauit Amiralium sua fide & beneuolentia freum in aulam veniſſe, ac proinde vulnerum dolore cruciari illum quidem, iniuriam tamen & sceleris immanitatem ad se omnino redundare; itaque se decreuisse illud tanta seueritate & exemplo vindicare, vt memoria futura esset perpetua. Amiralius ad ista respondit, vinctam se ipsi Deo, Regi iudiciũ relinquere, sceleris certum autorem satis esse notum. Et quoniam nesciret quàm futurna sibi vita relinqueretur, etiam atque etiam petit a Rege, vt se de grauissimis quibusdam rebus quæ ad rei familiares rationes pertinerent, disserentem audiret. Rex ad hæc Amiralii postulata cupere se simulat, remoris arbitris illum audire, egredi omnes cubiculo iubet: sed Regis mater, quæ à Regis latere non discedebat, obstitit (cuius autem causa fuerit incertum est) quominus hoc colloquium haberetur.

Die sabbati, id est, postridie, vulnera satis bene habe-

bant, vt medici & chirurgi asserere non dubitarent nul-
lum esse de vita periculum, brachium ipsum, licet robur
imminueretur, facile sanatum iri. Eodem die Rex alios
atque alios Nobiles mittit qui Amiralium inuisant,
quinetiam noua ipsa nupta illuc se contulit. Eodem
die in consilio Regis interrogati sunt certi testes de vul-
nere, autore & consciis: vt Amiralius & sui valde læti-
rentur, quum ius à se obtineri posse arbitrarentur, quod
facile conuictum iri autores confiderent. Id plurimis
amicis per literas multis in regni locis significarunt, cos-
que ne se commouerent monuerunt, neve indignius fe-
rent quod accidisset Amiralio: satis esse in Deo & Re-
ge ad vlciscendum virium, iam institui de sceleris auto-
re & sociis quæstionem, vt modo & ratione omnia ad
ministrentur, vulnera, Dei merito, non esse lethalia, sa-
cio licet brachio, cerebrum tamen non esse læsum. Qua-
re manerent quieti, & exitum quem vellet Deus expe-
ctarent. Eodem die Regis frater & eques Angoul-
mensis in rheda per vrbem obambulabant circiter ho-
ram quartam pomeridianam. Quo tempore rumor ip-
sus est accersitum fuisse à Rege Mareschallum Mon-
morentium cum magna vi peditum & equitum: vnde si-
tis causæ esset cur Parisini sibi cauerent. Sed vanus
erat & fictitius rumor. Eo die conspecti sunt sex ban-
qui armis onusti in Luparam ingrediebantur: quod q
Tellinio ab Amiralii tubicine nuntiatum esset, respo
ditille vanos esse metus quos sibi fingerent, se quide
nihil de optima Regis voluntate dubitare, cui essent
lius consilia & cogitata explorata, non debere hæc re
ab omni veritate aliena confingi. Tellinius opinor, na
mali hinc suspicabatur, propterea quòd pridie quàm
nus accepisset Amiralius, designatum fuerat iudicu
prælium; in quo impetus fieri debebat in castellum
ad eam rem paratum: ad quos aulicis nobilibus vt se p
rarent, imperatum fuerat.

Rex vt Hugonotos in vnum locum cogeret, hosp

lis notari iusserat in vicinia Amiralii, vt quoties liberet
ommodius illi præsto essent: quorum nonnulli se con-
ulerunt, aliis tam facilè migrandi facultas data non fuit.
Comes Mongomerius, Bricomaldus pater & alii ple-
que Nobiles Tellinium monuerunt, velle se, si videre-
ur, ad Amiralii ædes proficisci; vt illic noctem vigilan-
o transigerent. Tellinius gratiam se habere respondit,
hil necesse esse hoc fieri. Reliqui interim vigilabant: e-
es Angolismensis, qui cubitum non concessetat, inti-
os ex suis necessariis hilariter accipiens, bono eos ani-
o esse iubebat, se eo die Amiralium Francorum futu-
m esse confirmans. Verum spes eum fefellit, tam mu-
s istud vacuum, delatum est ad Marchionem Villa-
m. Regina mater paulo post mediam noctem conspe
fuit quum in cubiculum Regis ingrederetur, vna tan
m pedissequa comitata: aliquot etiam Nobiles vocati
c introierũt, sed cuius rei causa incertum est. Duabus
dem certè ab eo tempore horis signum datum est, æ-
o tintinabulo ex æde Germani Antissiodorensis. Eo
dito statim milites qui ante ædes Amiralii in statione
nt, in fores vi irruperunt: quæ aperta est simulatque
gis nomen, quod vsurpabant, auditum est. Dux Gui-
præsto fuit equo insidens cum magna suorum turba;
mpentibus nemo restitit, quum Amiralii comites &
mestici inermes essent.

Amiralius tumultu audito, timuit nequa oriretur se-
o: itaque iussit cubicularium (huic nomen erat Ni-
ao Interpreti) tectum ædium conscendere, ad incla-
ndos milites pra sidiarios à Rege datos, nihil minus
cet cogitans quàm ab illis ipsis vim fieri. Ipse ve-
urrexit, & nocturna veste opertus Deum precari cœ
Illo temporis articulo Germanus quidam nomine
nius, Ducis Guisii domesticus, qui vnà cum Capita-
cubiculum ingressus est, illum interfecit. Quãquam
abussius hãc sibi laudem tribuit. Extrema Amiralii

verba quibus parricidam compellauit, fuerunt, Fili, nihil
lo breuiorem vitam meam efficies. Nemini in tota do-
mo parcitum est, qui quidem reperiri potuit, quin om-
nes ad vnum trucidarentur. Cadauer Amiralii è feneſtra
in chortem deiectum est à Sarlabuſſio iuſſu Guiſii & Au
malii, qui huc accurrerant: quem mortuum ante ſpectare
voluerunt quàm illinc abirent.

Quo die Amiralio vulnus est illatum, Rex ſororium
Nauarræ Regem monuit, haberet apud ſe pernoctantes
decem aut duodecim ex intimis, vt ſe ab inſidiis Ducis
Guiſii tueretur, quem nequiſſimum hominem appella-
labat. Illi ergo quum in proximo conclaui dormirent,
poſt mortem Amiralii è cubiculis educti, gladio & pu-
gione exarmati, à Nancæo & ſatellitii Regii militibus ad
portas Luparæ ducti, ibi Rege è feneſtra inſpectante
trucidati ſunt. Ex eorum numero erat Baro Pardilla-
nus, Pilleſius, Sammartinus, Burſius & alii quorum no-
mina non teneo. Adducuntur ad regem Rex Nauarræ &
Princeps Condenſis: quos vbi conſpicit, negat ſe dein-
ceps varias religiones in regno paſſurum, velle ſe illos
exemplo maiorum viuere, nempe vt miſſam adirent, ſi
fortunas & ſalutem ſibi ſaluas eſſe cupiant. Ibi tum Rex
Nauarrenus ſumma modeſtia reſpondet, ita tamen vt
Regis præcepto minimè obtemperaret. Condenſis, vt
qui præſentiori eſſet animo, audaciuſculè loquitur.
Quapropter Rex non leuius illi periculum intẽdit quàm
capitis, niſi triduo (hoc enim ſpatium illi concedi) ſen-
tentiam mutet, pertinacem illum, præfractum, ſeditio-
ſum & ſeditioſi filium clamitans.

Cæteri Hugonoti qui in arce Luparæ erant, quibus
prece vel precio vita adhuc ſeruata fuerat, ſe imperata fa
cturos promittebant. Ex quibus Grammontius, Gama-
chius, Duraſſius & alii quidã eò facilius veniam adepti
ſunt, quòd Rex certò sciret nullum aut valde exiguum
religionis ſtudium in illis fuiſſe. Eodem momento
cãpana è turre Palatii ſignum datur, vt in omnes Hugo-
notos

notos cuiuſuis ordinis & ſexus, qui in vrbe erant, promiſcuè impetus fieret. Cauſa prætexebatur (vt quidem fama iactabatur) deprehẽſam coniurationẽ ab illis in matrem & fratres factã, quinetiã ab eis interfectos amplius quindecim prætorianos milites, cuius rei teſtes ſcilicet eſſent qui mortui erant: proinde Regem vetare ne vlli parcatur. Aulici & prætoriani Nobilium ſtragem fecerunt, ſicque litem ferro vi & diremerunt (ſic enim loquebantur) quæ charta, calamo & contentione forenſi adhuc decidi non potuerat. Ita miſeri cõiurationis & rerum nouarum rei, nudi, ſemiſopiti, exarmati, in manibus hoſtium, per ſimplicitatem, vt reſpirandi facultas aut ſpatium non daretur, trucidati ſunt, partim in lectulis, partim in ædium tectis, aut quo quiſque loco opprimi potuit.

Comes Rupefocaldus, qui in multam noctem (nempe vndecimam horam & eò ſerius) cum Rege ſuauiter, hilaritérque riſerat & luſerat, vix prima quiete ſe compoſuerat, quum excitatur à ſex laruatis, qui armati cubiculum ingrediuntur. Qui quum in turba Regem eſſe arbitraretur, qui ad ſe virgis iocosè cædendum veniret, ioco etiam deprecabatur virgas & flagra. Tandem capſis apertis & expilatis, vnus ex laruatis, cubicularius Ducis Andegauenſis, iuſſu domini ſui eum interfecit. Mandauerat quidem Rex Capit. Bargæo, qui erat ex laruatis vnus, vt ipſum interficeret, promiſſa præfectura turmæ, cui præerat Comes: cùm non alia conditione illud mandatum exequi vellet. Sed tametſi Cubicularius ille (vt accepi) ipſius cædem ptior occupauerit, obtinuit tamen nihilominus ordinem illum, quem duxerat Comes interfectus. Tellinius à multis à multis aulicis conſpectus qui eum necare conſtituerant, tamen à nullo eſt violatus: adeo omnes ingenuo & liberali eius ingenio flectebantur, qui quidem hominem norant. Ad extremum quidam extitit, qui cum illum non noſſet, interfecit. Marchio Renellius intima tunica indutus in fugam actus eſt à militibus & plebe ad flumen Sequanam ibique

lintrem conscendere iussus necatus est à cognato Bussio Amboſio. Regis frater, Dux Andegauensis, vt Archano qui prætorianis præerat, gratificaretur (is autem Castaneræ amore captus erat) misit ex ipsis Prætorianis qui socerum illius Forsium interimerent. Quo facto quum cæsos esse etiam ambos Castaneræ fratres arbitrarētur, vnus tantùm repertus est mortuus: aliter sauciatus erat ille quidem, sed latebat sub cadauere patris, qui in illum corruerat: vnde quum se vesperi extraxisset, reptando peruenerat ad ædes Bironii consanguinei. Castaneræ soror ægrè ferens totum patrimonium ad se non redire, Bironium adiit (is autem in armamētario diuertebat) simulans sibi iucundissimum accidisse quòd frater mortem effugisset, cupere se illum videre & prospicere vt vulnera curarentur. At Bironius qui dolum intellexit, noluit prodere, sicque illius saluti cōsuluit. Præses Placianus vir raræ eruditionis, hastarum ictibus lancinatus, & ad Sequanam ductus, ibi mactatus & in flumen proiectus est. Idē P. Ramo Professori Regio factum, idem Chappæo aduocato, & Lomenio Secretario Regio, postquam ab illo exorta est, per promissum seruandæ vitæ, Donatio lautissimæ partis fortunarum suarum, & translatio cessióque dignitatis Secretarii in alium, quem sibi successorem nominare coactus est. Complures alii ad eum modum interfecti sunt, quorum nomina commemorare non possum.

Commissarii, Centuriones & Decuriones Parisienses cum suis satellibus vicatim & ostiatim ibant, vbicunque reperiri posse Hugonotos putabāt, fores aperiri ex Regis autoritate iubebant, coniurationem quam falso prætexebant, cæde & sanguine miserorum tenuis sortis virorum, iuuenum, senum, mulierum & puerorum vindicabant: ad tam barbarū facinus impulsi à Ducibus Aumalio, Guisio & Niuernensi, qui obambulātes ferali clamore vicos complebant, mactarent vniuersos, sic à Rege imperatum esse. Plaustra cadaueribus onusta Nobiliū, mulierum

lierum, puellarum, virorum, puerorum, exonerabantur in flumen.

Opportunè autem accidit Fontaneo fratri Rohanii, Vidamio Carnotensi, Comiti Mongomerio, Calmontio, vni ex fratribus Pardillanis, Bellouaco, Noclio & compluribus aliis Nobilibus Hugonotis, vt hospitia haberent in suburbiis Germanianis e religione Luparæ, sed ita vt flumen interfit. Et Dei nutu factũ est vt Marcellus præfectus mercatorum Parisinorum, quum illi datum negotium die Sabbati à Rege vesperi fuisset, vt mille armatos haberet paratos media nocte, quos Mongironio traderet (huic enim mandatum erat vt eos conficeret qui in suburbiis erant, & dati erant duces itineris Commissarius loci & Antigraphus Massius, qui illum in Hugonotorum ædes deducerent) suos viros in tẽpore non habuerit, & Massius præter horam constitutam somno indulserit. Interim verò quidam, quem nemo postea nec vidit nec nouit, qui ex vrbe transmisso flumine venerat in suburbia quum vidisset quæ tota nocte in Hugonotos patrata fuissent, monuit Mongomeriũ: is Vidamium Carnotensem commonefecit, & reliquos Nobiles Hugonotos qui illic erant. Quorũ plurimi quum sibi verisimile fieri negarent tam nefariam cædem Rege non dico autore, sed approbatore designari, statuerũt ad Regẽ nauigare: quòd satius esse iudicarent vt à Rege sibi omnia summa pollicerentur, quàm vt fuga viderentur illius voluntati diffidere. Nec deerant qui putarent seditionem motam in Regis perniciem: atque adeo cogitarent recta illuc proficisci, vt se apud illum sisterent, quò egregiæ fidei & officii testimonium ederent, morituri, si opus esset, in illo defendendo. Sed parua mora interiecta iuxta flumen conspexerunt ad ducentos Prætorianos armatos, se versus concurrentes, minaciter cædem intentantes, & globulis eos petentes. Hæc omnia spectabat Rex è fenestra cubiculi, quum quidẽ instaret hora septima matutina. Quinetiam narratum mihi est Regem ipsum arrepto tor-

mento venatico in manus, cum impia diuini nominis exe cratione dixisse. Eia, petamus illos, fugæ se mandant.

Ita Hugonoti illi suburbani quidnam id esset ignari, coacti sunt partim indutis ocreis, partim autem absque ocreis & calcaribus, relictis quæ habebant pretiosissima fuga saluti consulere, vbi perfugium tutum sibi videbantur habituri. Nondum discesserant, quum Heluetii Regis stipatores & nonnulli aulici ædes illorum diripuerũt, & deprehensos omnes trucidarunt. Illud quoque commodissimè miseris cessit, quòd Dux Guisius, quum vellet porta Bussiana egredi, reperit erratum fuisse in accipienda clave: id quod maius spatium tardioribus attulit, vt equos possent conscendere. Nihilo secius tamen fugientes insecuti sunt Dux Guisius, Aumalius, eques Angolismensis, & nonnulli Nobiles sicarii, ad xvi passuum millia Lutetia. Guisius ad Montfortium perrexit, vbi quum subsisteret, Sangelario & aliis vicinis suarum partium iussit darent operam ne Nobiles illi qui aufugiebant, effugerẽt: eadem mandauit iis qui ad Holdanum & Druidas habitant. In hac fuga nonnulli sauciati sunt, pauciſſimi aut nulli interfecti.

Guisius & Aumalius tametsi se acerrimos simulabant se tamen satis moderatos præbuerunt. Tanquam enim Amiralii morte rabiem suam exaturassent, multos seruarunt, maximè in ædibus suis Guisianis quæ vocantur, quò se tutò receperunt Acerius & aliquot alii Hugonoti. Itaque quum à persequendis aliis reuertissent, & nonnullis postea diebus, Rex illos veluti indignabundus aspiciebat quòd putaret illorum culpa Hugonotos euasisse. Totus dies Dominicus absumptus est direptionibus, cædibus & latrocinijs: vt eæsorum numerus eo die tum Lutetiæ tum in suburbiis esse credatur amplius decem millium, procerum, Nobilium, præsidum, senatorum, aduocatorum, studiosorum, medicorum, procuratorum, mercatorum, opificum, mulierum, puellarum, puerorum & ministrorum. Viæ cadauerum aceruis erant stratæ, flumen sanguine

guine tinctum, fores & aditus Regii palatii eodem imbuti colore: nondum tamen expletus erat interfectorum furor. Rex, Regina mater, fratres & aulicæ purpuratæ sub vesperum exierunt, vt cæsos sigillatim spectarent. Nominatim Regina mater Sobizum voluit intueri, vt videret quidnam causæ esset cur cum vxore rem habere non posset.

Circiter quintam pomeridianam præconio publico Regis nomine imperatum est, suam se quisque domum reciperet, nec exire cuiquã liceret: solis militibus, & Cõmissariis cum suis satellibus fas esset armatis in vrbe versari: qui secus faceret, capitale futurum. Quo audito plurimi aliquid de furore remissuros existimabant: verum postero die & sequentibus rabies denuo exarsit. Eodem die Rex literas ad suos legatos quos apud Principes exteros habebat, item ad Prouinciarum & præcipuarum vrbium prætores dimisit, cædem Amiralii charissimi & reliquorum Hugonotorum se ignaro & inuito accidisse: Guisianos, quum deprehendissent necessarios & consanguineos Amiralii vulnus illud acceptum vlcisci statuisse, vt illos anteuerterent, tantam Nobilium & Patrinorum suarum partium manum collegisse, vt milites quos præsidio Rex Amiralio dederat, primum oppresserint, sabbato nocte intempesta ingressos Amiralium trucidasse, & quotquot illic ex eius amicis offendissent: quam rem sibi, matri & fratribus valde doluisse, quum perferre cogerentur: se quidem metu propriæ salutis in arcem Luparam compulsum illic se continuisse, vna cum fratre charissimo Rege Nauarræ, & dilectissimo Principe Condensi, vt in communi periculo eundem fortunæ exitum experirentur. Velle se omnibus constare quàm ægrè hoc ferret, quum videret se toties nequicquam dedisse operam, vt bona ĩde Guisius & Amiralius redirent in gratiam. Præter has literas eodicillos dedit, quibus interdicebat ne quis arma illicita ferret, néve conciones illicitæ haberentur, aut aliud quicquam fieret contra atque

Edictis pacificatoriis iubebatur: quorum beneficio omnibus subditis iubebat vt pacem & quietem inter se colerent. Hæ literæ subsignatæ fuerant à Pinario Secretario, die 24. Augusti. In eandem sententiam ad eosdem scriptæ sunt literæ à Regina matre. In neutris harum literarum quicquam habebatur quod pertinet ad coniurationem initam aut cogitatam ab Amiralio & sociis. Quanquam autem hæ literæ quoquouersum ad Regni prouincias dimissæ erant, nihil tamen Lutetiæ dicebatur quo seditiosorum furor sedaretur.

Die Lunæ 25. August. Parisini collocatis custodiis ad portas vrbis ex iussu Regis (qui claues ad se deferri iussit, nequis Hugonotus amicorum beneuolentia aut opera euaderet) quasi messe affatim & plenis manipulis facta postridie spicas quæ remanserant, sparsim colligebant, mortem interminantes, nequis vllum Hugonotum vel cōsanguineum vel intimum amicū celaret. Ita quotquot reperti sunt, necarunt, & eorum bona prædæ habuerūt, totam item absentum suppellectilē. Rex Heluetiis stipatoribus pro strenua in hac cæde nauata opera, largitus est prædā ditissimi cuiusdā gēmarii Theodorici Baduери. Eā audio æstimari bis centenis millibus coronatorū. Reliquorum Hugonotorū procerū tam Nobiliū aut mercatorū præda vel nulla autoritate publica fiebat, vel tota diuidebatur, iussu Regis, aulicis & iis quos sibi addictissimos habebat. Ex quibus plerisque siquid eximiū reperiebāt in mortuis spoliandis, id tanquam singulare munus afferebāt Regi. matri, aut ei ex Principibus cui studerent gratificari.

Dum hæc fiunt, Rex consiliū conuocari iubet, vbi proferuntur à Regis fratre certæ literæ quas Mommorencius ad Tellinium dederat die Aug. 22. de vulnere Amiralii: quibus ad eas respondebat quas ab illo eadem de re acceperat. Repertæ autem fuerant in cistis inter chartas Tellinii. Iis apertè ostendebat Mommorencius quantum dolorem ex eo nuntio cepisset: se non minus de vltione tāti sceleris cogitare quàm si hoc vulnus sibi esset illatū: nihil

præter

prætermittendum quod huc faceret, maximè quũ factum hoc Rex ipse indignè ferret. Iã verò paulo ante hanc carnificinam habitus fuerat arcanus quidam congressus, vbi aderant Rex, Regina mater, Regis frater, Dux Aumalius, Niuernensis, Comes Retius, Lãsacus, Tauanius, Moruillerius, Lemouicus & Villaregius. Ibi placuerat, confectis Lutetiæ Hugonotis, statim Ducem Guisium cum suis Lutetia egredi & in quasdam ex suis ædibus migrare: vt sic tum toti Galliæ, tum nationibus vicinis totũ hoc autoribus Guisianis perfectũ fuisse videretur, quò mortẽ Ducis Guisii superioris vlciscerentur, quem primo ciuili bello Hugonotus quidã interfecerat. Ea fuerat causa cur Rex literis quas Die Dominico quoquo versus dimiserat, rem totam in Guisianos contulisset. At illi quum rei atrocitatem viderẽt, animaduerterẽntque sibi & posteris inuidiã omnium qui vsquam essent hominum, quibus modò humana societas cordi esset, hac ratione cõflari atque adeo se solos futuros, in quos vniuersi mortales tanquã in auditi facinoris autores tela coniicerent, quum Lutetiam reuertissent, neque illinc egredi neque ex aula discedere voluerunt, contrà Regi summa cõtentione instare cœperunt, vt se huius facti autorem profiteretur.

Rex itaque eodem illo in congressu, partim quia Mõmorencius vltionis causam afferebat, quòd Regi ita videretur, partim quia Guisiani adduci non poterant vt Lutetia exirent, aut culpam penes se residere paterẽtur, coactus est se autorem agnoscere. Enimuero dicebant qui in consilio aderant, si Mommorencius ob vulnus Amiralii consanguinei tantopere excandescit, & in eam minaces voces erumpit, quid facturum esse censebimus, vbi illum & tot alios sibi charissimos mactatos audiet? Quòd si in familiam Guisianam hæc omnia conferentur, quid causæ dici poterit? Quamobrem Rex ex ipsius consilii sententia, ad suos legatos & oratores, item ad prætores Prouinciarum & præcipuarum ciuitatum scri-

pſit, quicquid deſignatum eſſet Lutetiæ, nullo pacto ad religionem pertinere, verùm duntaxat factum eſſe vt ne farium conſilium impediretur, quod ab Amiralio & reliquis coniuratis initum atque ſuſceptum aduerſus ſe, matrem & fratres deprehenderat. Proinde velle ſe pacificatoria Edicta ſeruari. Si qui autem Hugonoti Pariſienſi laniena moti armati quolibet loco aut oppido coirent, viderent illi vt protinus opprimerentur, & interneçione delerentur. Nequid præterea ab iis qui nouis rebus ſtuderent tentari poſſet, totius regni oppidorum portæ ſumma diligentia cuſtodirentur. Quæ præterea fieri vellet, ab iis intellecturos qui literas ferebant. Vix illa mandata perlata ſunt Meldas, Aureliam, Turones, Andes, Bituriges, Toloſam & ad alias aliquot ciuitates, cum Hugonoti mox comprehenſi iuſſu prætorum necati ſunt. Nonnulli minus feri, vt Mandelotus Lugduni, & Carrugius Rotomagi, ſatis habuerunt, ſi initiò Hugonotos ſuarum ciuitatum in cuſtodiam traderent: qui tamen paucis poſt diebus interempti ſunt.

Eodem die Lunæ matutino tempore Rex quoſdam ex prætoria cohorte miſit Caſtellionem ad Loniam, qui liberos Amiralii & fratris Andelotii vel vltro vel vi adducerent: ſed compererunt maiores natu iam aufugiſſe. Regis frater itidem ex ſuis ſtipatoribus quoſdam circum Lutetiam dimiſit, qui Hugonotos domi deprehenſos trucidarent. Ne autem cuiquam parceretur, eos nominatim milites dimittebat qui nullam locorum aut hominũ notitiam habebant: atque ita factum eſt, vt nulli euaderent niſi forte ſi quis mercede data ſe redemit, qui in ſicarios pecuniarum cupidiores inciderat. Nihilo tamen ſecius etiam pretio numerato occiſi ſunt. Per eos dies tempus valde ſerenum Lutetiæ & locis finitimis fuit: vt Rex e Luparæ feneſtris proſpiciens dixerit videri cælum ipſum ob Hugonotorum necem lætari.

Die Lunæ circiter meridiem in cœmeterio Innocentium cõſpecta eſt ſpina floré contra anni tempus miſiſſe.

Cuius

Cuius rei ſimulatque fama vrbē occupauit, ſtolida plebs vſque ad illum locum miraculum conclamans conuenire cœpit: quin & campanarum tinnitus ad indicandam lætitiam editus eſt. Itaque ad compeſcendum vulgi concurſum, in primis autem ne miraculi figmentum (quod à vetulo quodam Franciſcano excogitatum fuiſſe poſtea compertum eſt) illuſtraretur & vileſceret, neceſſe fuit collocari in ſtatione milites, qui acceſſum obſiderent & impedirent. Atque hoc portentū ſuos habuit Aruſpices, qui ſignificari dicerent fore vt Gallia ſuum florem & ſplendorem priſtinum reciperet. Plebs ab eo ſpectaculo quū rediret, & quicquid geſtū fuerat Deo probari illo ſigno exiſtimaret, recta in ædes Amiralii perrexit, cadauer inuentum corripuit, per plateas ad ripam fluminis traxit, pudendum deinde & caput amputauit, quod miles quidam (vt ſibi imperatum eſſe dicebat) ad Regem detulit: ipſum corporis truncum gladiis & ſicis lancinatum à vulgo tandem ad patibulum Monfalconem appellatum traſtum, pedibus ſurſum verſus ſuſpenderunt.

Die Martis 26. Aug. Rex fratribus & aulæ proceribus comitatus in Palatium Lutetiæ proficiſcitur, quod veteri lingua Gallica dicebatur Curia Parium Franciæ, & lectiſternium iuſtitiæ regiæ. Ibi ſedens frequenti Senatu, collectis Curiæ omnibus claſſibus, palam profeſſus eſt, quicquid iis diebus geſtum fuerat, non ſolùm ſe aſſentiēte, ſed etiam autore & iubente geſtum fuiſſe, atque adeo totum hoc ſibi vni vel laudi vel fraudi eſſe velle. Ibi tum primus Præſes totius Senatus nomine factum collaudauit tanto Rege dignum, rectè atque ordine factum eſſe & iure cæſos reſpondit. Citans in eam ſententiam præclarum Apophtegma Ludouici XI. Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.

Pol. Næ ille haud faceret, quod à Vaccario olim in eodem Senatu ſummo Præſide factū narrat Paſquerius in libello Antiquit. Gallicarum. Vrgebat forte Rex Ludouicus XI. Senatores & Conſiliarios Curiæ, vt alicuius

Edicti auctores & approbatores essent. Illi cum id se facere posse negassent, quia videretur iniustum, Rex non tenens iram cuius alioquin impotens erat, mortem toti Senatui minatus est. Tum Vaccarius, cuius maxime auctoritate Regiæ cupiditati obuiã ierant, toga purpurea sumpta, cum toto Senatu rectà ad Regem ira incensum perrexit. Rex ea pompa, & inopinato purpurati Senatus aduentu attonitus, percunctatus est quid sibi vellent? quidve quærentes adeo intempestiuè ad se veniissent. Cui Vaccarius ad hunc modum pro omnibus respondisse fertur: Mortem, inquit, quærimus, ô Rex, qui tu nobis minitabundus indixisti, nisi auctores essemus Edicti tui. Sed scito nos mortem prius oppetituros, quàm vt quicquam aduersus conscientiam & officium faciamus.

Historiog. Cordatum virum. At iste sedulò cauebat sibi, ne quid vnquam simile faciat. Nam quomodo sese iniustitiæ viriliter opponeret, qui ex ea tam vberes fructus colligit? Sed vt ad institutum sermonem reuertar, quum Rex in palatium iret, agnitus est quidam in turba Nobilis Hugonotus & mox interfectus non procul à Rege. Qui ad tumultum reflexo vultu rem vbi intellexisset, progrediamur, inquit, vtinam is postremus omnium esset. Eo die & cæteris sequentibus pauci Hugonoti Lutetiæ interfecti sunt, nempe quia pauci supererant.

Aliquot Catholici ausi sunt seruare quosdam ex suis necessariis & consanguineis. Ne longè abeã, Feruaquius seruare conabatur Capitaneum Moninum, cuius causa Regem adiit, rogans & obtestans vt quem adhuc seruarat, pro suis in illum officiis sibi largiretur. Verùm id nequicquam precatus est: imò iussus est illum interficere, nisi mallet Caroli manu interfici. Feruaquius ob singularem quandam amicitiam erga Moninum ad hanc rem est horruit, licet acerrimus esset Hugonotorum hostis, & non paucos propria manu superioribus diebus trucidasset

dasset: coactus est tamen indicare vbi latebat. Ad quem iugulandum statim missus est sicarius. Idem accidit multis Hugonotis, quum se periculum omne euasisse arbitrarentur.

Die Iouis 28. August. Lutetiæ celebratus est Iubilæus extraordinarius & supplicatio decreta, cui Rex ipse interfuit, quum quidem antea Regem Nauarræ blanditiis & Principem Condensem minis frustra ad id solicitasset. Eodem die in vulgus editum est diploma à Rege, qui se non tectis iam verbis aut simulatis vti velle dicebat, Hugonotorum cædem factam esse se autore, ob sceleratam coniurationem quæ ad suam, matris, fratrum & reliquorum Principum & primariorum aulæ perniciem atque interitum spectabat: cæterùm nolle se edicta pacificatoria violari, ita tamen vt Hugonotis conciones habere non liceret, dum aliter ipse prospiceret. In primo huius diplomatis exemplo nomen Regis Nauarræ non continebatur: sed quum videretur posse ab illo quoduis testimonium exprimi, visum est Consilio regio illius nomen inseri.

Hoc diploma ad omnes Franciæ prætores per veredarios dimissum est, vnà cum literis sigillatim datis in eandem sententiam: hoc excepto quod additum erat, vt statim literis acceptis iugularentur Hugonoti quotquot extra ædes suas deprehenderentur. Aliquot igitur Hugonoti qui præ metu ædes reliquerant illuc audito mandato redibant, alii quum fidem non haberent, extra domum reperti occidebantur. Tandem verò qui domum se receperunt, vt iubebatur, nihilo meliore fuerunt conditione quàm cæteri. Atqui prætores acceptis literis eos tãtum Hugonotos à se inuestigari prædicabant, qui coniurationis postremæ Amiralii socii essent, rerum præteritarum Regem ne meminisse quidem velle. Paulo pòst additum isdem literis fuit, qui in custodiam fuerant traditi, vt ii omnes liberarentur, néve quis deinceps in vincula coniceretur, exceptis iis qui superioribus bellis ciuilibus

rerum gerendarum curam aut mandatum habuissent, aut aliquid tractassent: ex quibus si qui caperentur, duci placeret ad Prætorem vrbis aut Prouinciæ, cui à Rege significaretur quid fieri vellet. Nulli tamen liberabantur, imò plures in dies capiebantur. Complures ergo ex istis minus creduli quàm reliqui, sapere visi sunt, qui Regni finibus egredi quàm illic diutius versari maluerunt: qui tamen simulatque Regno excesserunt, quanquam in ditiones sociorum & amicorum Regis concesserant, magistratus iniuriam non vitarunt. Nam quorundam facultates publicatæ sunt, aliorum proscriptio facta est, aliorum direptæ & expilatæ sunt.

Iam vt ad res Lutetiæ factas redeamus, Rex die 5. Decemb. proximi accersitum Pezuuium lanionem, vnum ex ducibus Parisiorum, rogauit nũqui supereſſent Hugonoti. Respondit ille à se cxx. in flumen proiectos pridie fuisse, totidem supersse in noctem sequentem. Hoc responso Rex supra quàm dici posset delectatus, mirificè ridere cœpit. Die. 9. Septem. Rex metu simul & ira percitus, cũ execratione iurans se manu sua reliquos Hugonotorum confecturum, armari se & stipatorum duces accersi iubet se initium velle à Principis Condensis capite sumere. Sed Regina vxor ad pedes eius prouoluta, supplex rogauit ne rem tanti momenti absque consilio aggrederetur. Rex vxoris precibus victus, cœnauit & dormiit cum illa. Postridie furore nonnihil sedato, Principem Condensem accersit, cui ex tribus vnum optandum proposuit, Missam, mortem aut carcerem perpetuum. Cui Princeps respondit, se primum nunquam diuino fauore electurum, reliqua duo Regis iudicio secundum Deum relinquere. At postea tamen, quum didicisset, sibi in Bastilda quæ vocatur (vbi solent Principes in vinculis detineri) parari cubiculum, audio inuenilem animum præ terrore de sententia fuisse deductum.

Non multo pòst excusi sunt cum Priuilegio Regio certi libri satyrici & contumelioſi in Amiralium, in quibus

bus nominatim affirmatur licuisse Regi ad eum modum subditos tractare ob religionem violatam, non secus ac occisi olim fuerunt Baalis sacerdotes. Verùm de coniuratione Amiralii illic ne verbum quidem habetur. Quin etiam aulici quidam & consiliarii quos ante meum discessum conueni, in primis Foxius & Malassisius, suauiter omnia ista rident, fidem suam testantes lepidum esse prætextum: & tam barbarum & inhumanum hoc factum existimant, vt alio nomine appellãdum non putent, (sed parũ cautè se occultat, vt est in prouerbio, cui nates apertè extant) in summa Regem velle hoc tanquam verũ credi, coniurationem esse factam. Quòdque magis mireris, Rex Nauarræ in eorum numero est quos Hugonoti scilicet occidere decreuerant.

Polit. Stultè hoc ab illis confictum est, vt coniurationem verisimilem redderent. Hæc autem in primis mihi parum videntur cohærere cur Rex, si statuebat hanc causam prætexere, scripserit ad omnes magistratus, nolle se omnino aliquam Religionem præter suam in toto regno ferri: interim autem conetur Principibus exteris persuadere, sibi esse in animo Edicta pacificatoria tueri.

Aleth. Mihi quidem istud non valde mirum accidit. Diabolus enim suis propriis duntaxat instrumentis vti potest, nempe mendacio. Quod non mediocri cõsolationi electis esse debet, qui veritatem tandem fore superiorem certò sciunt.

Philaleth. Vides interim Alethia, quibus ignominiis obruamur, & quàm indignis modis accipiamur, idque sua vnius causa.

Aleth. Minimè nouum est, si qui mei sunt studiosi, eos videtis odio flagrare, probris & calumniis, verberibus & sæpius morte affici. Innumeræ historiæ partim profanæ, partim Ecclesiasticæ & sanctæ hanc esse illorum sortem testantur. Vernas (inquit ille) odium parit. Crux est tanquam glutino coniuncta Euangelio. Flebitis (ait vno verbo Christus) mundus verò ridebit.

Historicq. Vt semel dicam, in tota Gallia vbi Rex tyrannidem exercet, qui recusat missam, adire, ei vel moriendum est, vel clam è regno aufugiendū. Itaque hoc verum esse passim credunt, à die 24. Augusti ad hóc tempus trucidatos fuisse amplius centies mille homines Hugonotos, tanquam coniurationis machinatores. Neque tamen adhuc exaturata est illorum rabies, aut cupiditas expleta.

Ecclesia. Proh summe Deus! ô Pastor Israëlis quádiu fumabis aduersus preces populi tui? Eum tu pane lacrymarum pauisti, & fletu potasti. Nos proximis nostris inuisos reddidisti, & ludibrio inter gentes exposuisti. Vineā tuam ex AEgypto transtuliſti, plantasti eam, & locum ei parasti, vt illic radices ageret, & propagines extenderet, solum occupando. Cur ergo sepem eius rupisti, prædæ eam dans prætereuntibus? Cur ab apro consumptā, à feris vorata est? Venerunt gentes in hæreditatem tuam, tuorum corpora seruorum cibum coruis, carnes sanctorum bestiis terrestribus obiecerunt. Tuorum sanguinem effuderunt, neque reperiebatur qui sepulturæ mandaret. Quousque Domine succensebis? num in sempiternum exardescet ira tua? Effunde Domine indignationes tuas in gentes quæ te non norunt, & in regna quæ nomen tuū non inuocāt. Totam enim Iacobi posteritatem pene deleuerunt, & locum eius exciderunt. Effice vt per totum orbem nota sit vltio sanguinis eorum qui te colebant, qui quidem contra ius & fas effusus est. Habe quæso rationem eiulatus & luctus miserarum viduarum & orphanorum: memēto gemitus captiuorum: serua tuorum vitam pro magnitudine potentiæ tuæ, quos illi neci destinarūt. Nostris autem vicinis septuplo repende iniuriam qua te ipsum DOMINE dedecorarunt.

Philalet. Amen.

Historicq. Sed nondum finis est. Quemadmodum enim modò dicebam, quum orationem interrupisti, quantacunque strages edita sit in Gallia, Regis tamen sæuitia

nun

nunquam lenietur, dum vnus relinquetur Hugonotus superstes. Quinetiam deierat Missam ad illos seruandos ne quaquam profuturam, quicquid faciant.

Aleth. Nunquam ille verius loquutus est: Verùm quo quæso sensu ista accipit?

Historiog. Næ ille haud cum Hugonotis in ea re sentit. Docet enim illi nec Papæ traditionibus, nec bonis intentionibus quæ vocantur, nec bonis operibus, sanctorũ meritis, ligno sanctæ crucis, longis peregrinationibus, aqua lustrali, nec ipsa sancta Missa posse nos seruari, quòd nec ista simul omnia nec istorum vnũ aliquod salutẽ conferre possit: illã enim à Deo solo proficisci ex mera gratia & clementia, qua sperantes in se complectitur, qui omni arrogantia & fiducia sui spoliati, deiecti erratorũ suorum conscientia, vnius mortis merito freti quam perpessus est CHRISTVS, ad illum accedunt. Hanc ille salutẽ sat scio non intelligit, neque de ea cogitat.

Aleth. Sic mihi videtur. Apertè quidem ex illius vita perspicitur, ista ab eo nequaquã curari. Atqui digna res est, mi Historiographe, vbi neruos continenter intendamus: is præcipuus noster scopus esse debet. Sed de his si Deus volet pluribus agemus, antequam hic cœtus solvatur. Fortasse ea disces quæ nunquam intellexisti, etiam si nonnihil de ea re dici audiisti. Nunc perge sanè narrare, & nobis, si quidem tenes, differe quo animo hæc dicta sint à Rge.

Historiog. Mox dicam, teque vicissim audiam quum voles. Nam ne mihi quidem constat quid statuendum sit quum de salute disputatur. Ignorantia tum nostra, tum nostrorum pastorum nos eo redegit, vt in summa dubitatione titubemus.

Poli. Ego quoque huic disputationi interesse cupio, Aethia. Nullam enim religionem nec salutis iter, sed meum atheismum apud nostros comperio. Iactent se Christianissimos licet, constat hæc falsò dici.

Aleth. Mihi verò periucundum est quòd vos ad discen

dum paratos video: plura in hanc sententiã iuuante Deo dicentur. Nunc Historiographum audiamus, dum ipsam interpretationem exponit, & reliqua narrare pergit.

Historiog. Sunt plurimi Hugonoti, vti iam dictum est, qui ex illa carnificina euaserunt: horum duo sunt genera. Alii enim ex Gallia profugerunt, alii illic remanserunt. Qui profugerunt, se in Heluetiorum aut Germanorum fines receperunt, aut certè in Angliam & insulas eiusdem ditionis. Cùm his Rex duntaxat per literas agit, vel nuntiis submittendis: conatur enim exemplo, credo, boni patrisfamilias, qui suorum curam gerit, illos reuocare in eum locum vbi facilè, quoties volet, reperiantur. Miseret enim illum scilicet inopiæ rerum omnium, quam passuri sunt è patria extorres. Cupit ergo domum redeant, vt bonis suis potiantur, dum se ad ipsius voluntatem conforment, & imperata faciant. Qui in Gallia remanserunt, non eadem conditione sunt. Nonnulli in munita quædam oppida se receperunt, nempe Montalbanum, Sancerram, Nemausum, Rupellam, & aliquot alia. Aduersus illos Rex copias suas misit, eos si posset, deleturus, propterea quòd non intromiserunt, sed clausis portis arcere ausi sunt eos qui ad omnes iugulandos ex Regis mandato ingredi conabantur.

Aleth. Ah miseros! Quid? erúntne deteriore conditione quàm pecudes, quas natura, vt se vitámque suam tueatur docet? quas ad suam salutem varia ratione armauit. Indigniore loco habebuntur, quàm serui, quibus præter ius naturale, ipsum ius gentium, imò ciuile permittit fores hero occludere, si ad se occidendum ruere eum animaduerterint?

Historio. Hic quid dicam non habeo: Rupellã quidem certè inter cæteras pessimè odit.

Polit. Mirifico sanè casu seruata est misera. Id enim, si nescis, certò affirmare possum, exercitum quem Strozzius & Baro Gardiæ Bruagii ad Rupellam ante quatuor menses

menſes habebant, expectantes (vt in aurem inſuſurrare ſolebant) dum claſſis Hiſpanica rediret, qua fuſa & deleta (vt Amiralius ipſe credebat) Fleſſingam nauigarent, illic data opera excubaſſe, vt in ipſo temporis articulo Rupellam opprimeret. Quinetiam duobus menſibus & eo amplius ante Pariſinam lanienam Regina mater ad Stroſſium literas diligenter ſignatas manu propria ſcripſerat, & aliis paulo ante datis vetuerat ne iſtas aperiret ante 24. diem Auguſti. Quarum hæc erat ſententia, Strozzi certiorem te facio, hodie 24. Auguſt. Amiralium & omnes qui cum illo erant Hugonotos, cæſos eſſe. Quamobrem vide vt Rupellæ compos ſis, & cum Hugonotis qui in tuas manus incident, ita agas, vt hic actum eſt. Caueris ne muneri tuo deſis, ſi tum Domino meo & filio Regi tum mihi gratum ſtudes facere. Subſignatum, Catharina. Nunc tibi iudicandum relinquo, num à Deo ſeruati ſunt.

Hiſtor. Semper id quidem crediderim, non temere eſſe quòd Strozzii exercitus in ſtatione erat ad Rupellam, & militibus qui vndique terra & mari totum illum agrum diripiebant & populabantur, vnum hoc in animo eſſe, vt Rupellæ ſuperiores eſſent, ad illam opprimendam & cædes faciendas. Illud inſuper ſciebam, illos ſua ope bis aut ter deiectos fuiſſe. Quinetiam hoc reſciui, quo die cædes illa facta eſt, amplius ducentos Strozzianos milites armatos illuc ingreſſos fuiſſe per ſpeciem instaurandi arma aut emendi cibos, qui terrore neſcio quo correpti, ne Rupellani (qui mirum in modum libertatis ſuæ & priuilegiorum ſtudioſi ſunt, quibus cauetur ne quod apud illos collocetur præſidium) conſilia Strozzii deprehenderent, clanculum oppido exceſſerunt. Verùm ex his literis nihil audieram. Hoc à me non prætermittetur, quin hiſtoriæ meæ inſeratur. Mirabilia profecto conſilia! Coniurationem initam fuiſſe non immeritò prædicant: verùm ad Hugonotorum interitum compoſita erat. O miſeros! Omnino miraculo diuinitus factum eſt,

quòd ex proditione tam ingenioſa & ſubtili nonnulli euaſerunt.

Sed vt ad inſtitutum reuertamur, præter eos qui ad oppida & loca tuta ſe receperunt, alii ſunt qui nuſquam abierunt, quòd aut non potuerunt, aut noluerunt, aut auſi non ſunt tantam rem aggredi. Ex his nonnulli (ſed exiguo numero) quietos & tectos domi ſe continent, Miſſas non adeunt, apud ſe quiſque Deum colunt, ita tamen vt nemo reſciſcat, ne opprimantur. Hi expectant dum poſtremi votentur, quemadmodum Vlyſſes à Polyphemo. Alii Miſſas alacri animo adeunt, certatim deierāt, & ſexcentas blaſphemias euomunt: quod argumento ſit nihil iam illis eſſe cum Religione: quod reliquū eſt, omni ſcelerum genere ſe contaminant. Hi maxima ex parte aduerſus alios Hugonotos arma ferunt: veràm Rex non admodum illis fidem habet. Alii Miſſas adeunt illi quidem, ſed coacti & per vim, vt ex vultu & geſtu facilè iudicari poteſt: ita mœſti & abiecti ſunt, vt ſe mutuò per vicos cōpellare aut ſalutare nō audeāt, nec domi cōuenire. De iſtis opinor Rex loquitur, quum ait Miſſam illis ſaluti non fore: quin de aliis quoque accipi poteſt, qui vltro & ſua ſponte Miſſas ſpectant.

Aleth. Mihi quidem dubium non eſt de vtriſque eum loqui. Quæ iſtæc feritas eſt, non ſatis illis eſſe quòd corpus occidant, niſi etiam ſimul anima pereat? contrà illis quoque nō ſatisfieri quòd anima perear, niſi corpus quoque interimatur? Domine quouſque?

Eccleſia. Laudādus es Domine Deus patrum noſtrorum, prædicandum eſt nomen tuum & ſempiternis laudibus efferendum. Iuſtus es in iis quæ facis omnibus, inſtituta tua recta ſunt, æqua ſunt tua iudicia, quibus iſta omnia nobis meritò acciderunt. Legibus tuis dicto non fuimus audientes, præcepta tua non audiuimus nec ſeruauimus. Deliciarum & voluptatum ſupra modum cupidi fuimus, in magnatum aula (vnde edicto publico tua veritas exulabat) dignitates, gratiam & coniunctiones ambiimus.

ambimus. In omnibus malis quæ nobis importasti, vero iudicio vsus es dum nos in hostium potestatem venire feciſti, hominum sceleratorum, absque iure & fide, Regis etiam omnium qui in terris sunt iniquissimi & pessimi. Quotidie in mortem tua causa tradimur, tanquam oues ad macellum destinatæ habemur. Id verò ne perpetuò fiat, rogamus & obsecramus. Propter nomen tuum ne fœdus tuum violes, ne nos omnino excindas, sed lenitate tua & immensa misericordia erga nos vtere: vt seminarium tuorum, quos ex tanta clade reseruasti, crescat, alatur & propagetur multitudine, zelo & pietate. Domine olim hoc persecutionis instrumento vsus es, vt augeretur & corroboraretur grex tuus, qui vixdum Hierosolymis nascebatur & coibat, quum illum per totam Iudæam & Samariam dispersum egisti. Effice Domine vt qui reliqui sunt ex tuis, quos palantes hunc in exteras & longinquas regiones disiecisti, pergant in tuo cultu, vt exemplo sint & ædificationi, iis à quibus excipiuntur: vtque exilium æquo animo ferant, agnoscant vniuersum orbem tuum esse totum, esse vnam tantaxat ciuitatem, cuius homo ciuis sit inquilinus, qua tandem parte habitet. Aut (vt verius dicam) doce illos DOMINE nullam nobis hic esse perpetuam ciuitatem: vt dum futuram illam quærunt, perseuerent in spe vitæ beatæ, quam nobis pretioso CHRISTI filii tui DOMINI nostri sanguine comparasti. Et dum vocationem suam certam faciunt bonis operibus & pia vita (quæ à te omnia parata sunt vt in eis gloria afficiaris) in memoriam reducant crebras & molestas peregrinationes Abrahami, Isaaci & Iacobi, oculos coniiciant in vnicum tuum & chariſſimum Filium, qui statim atque natus est noctu aufugit in Aegyptum, tum matre Virgine, duce Ioseph, vt ex Herodis manibus euaderet, qui eum ad necem postulabat.

Doce tuos omnes, tuum esse hunc morem, vt quos diligis, eos castiges, ne animum despondeant, quasi

alienum aliquid illis accidat, quum igni, gladio vel exilio examinabuntur, vt fidei ſpecimen edant. Potius participes facti calamitatum Filii, tui & illius nominis cauſa contumelia affecti gaudeant, expectantes dum moriatur qui pueri vitæ inſidiantur. Interea conſilium illis & prudentiam impertire, ne ſe amplius voce pſeudopatris illius familias decipi patiantur, aut iſtius Crocodili lacrymis, qui ſpecie neſcio cuius pietatis eorum perniciem molitur. Confirma eos etiam DOMINE vera animi magnitudine & robore, quò ſuperatis cunctis difficultatibus quæ occurrunt, poſtquam è naufragio liberati ſunt, inde etiam ſuos fratres omni ratione eripere conentur, opem iis ferant qui in medio mortis diſcrimine verſantur, quos exercitus Pharaonis, quos nouus hic Sennacheribus & Rabſaces impius inſequuntur. DOMINE auribus noſtris audiuimus, patres noſtri narrauerunt nobis opera quæ in Aegypto illorum memoria feciſti, in ſolitudine, tum in regione in quâ illos introduxeras: quemadmodum manu tua expuleris gentes, fortiſſimos quoſque dieceris, qui obſtabant quominus tui quiete promiſſa fruerentur. Terram illam ſuo gladio non compauerunt, brachio ſuo non ſunt ſalutem conſequuti: verùm dextra tua, brachium tuum & lux vultus tui præſidio illis fuit quoniam eos amore cõplectebaris. Hoc quidem conſtat Domine, plurimos ex illis, quia te diffidentia irritaſſent, in ſolitudine cecidiſſe, imò Moſen ipſum ſeruum tuum, quem illis liberatorem dederas. Sed nihilo ſecius opera Ioſuæ præſtitiſti erga poſteros, quicquid patribus per Moſen promiſeras. Peccauimus Domine, te offendimus: nos etiam abieciſti, nos diſſipaſti, acerbè iratus es, nos in perniciem impellẽs, cui remedium nullum adhiberi poſſe intelligimus. Duriter populum tuum tractaſti, & vino ſtuporis inebriaſti: poſtea tamen metuentibus te vexillum dediſti quod attollant, idque veritatis tuæ gratia. Effice Domine vt tui Iſraelitæ deſinant brachio carnali, armis aut viribus humanis confidere, in te ſolo

ſolo Deo armipotente, fortium fortiſſimo ſpem collocent, ſicque ſtatuant, fruſtra ædificari domũ, niſi manum admoueas, inutiles eſſe vigilias, niſi ipſe ciuitatem cuſtodias. Qui ranis, pediculis, locuſtis & talibus copiis tremere feciſti veterem illum Pharaonem in lectulo, qui manum validam intendens, illum populo tuo fugienti inſtantem vnà cum exercitu obruiſti, dum tui arido itinere incedebant. Qui in mediis Cherubis inſides Deus Iſraëlis, Deus ſolus omnium regnorum quæ per totam terram ſparſa ſunt, qui terram cum cœlo condidiſti, huc præbe aurem, & audi: aperi oculos, & intuere. Audi ſuperbam Sennacheribi orationem, & iuuenis iſtius Rabſacis, qui totus blaſphemiis ſcatet, qui quaſi te ad certamen laceſſat, rogat, Vbi eſt Deus ille fortis ſeruator puſilli iſtius gregis? Reges quidem Aſſyriorum populos & eorum regiones, quin eorũ quoque Deos in ignem conſecerunt. Neque enim dii erant, ſed manuum humanarum opera, ligna nimirum & ſaxa: proinde facilè deleta ſunt. Iſti verò te Domine auguſtum numen Iſraëlitarum petunt, tibi maledicunt, te execrantur, iactitant ſe oppida deleturos vbi nomen tuum colitur, tuámque è terris memoriam obliteraturos. Enimuerò ciuitates iſtæ à te conditæ & conſtitutæ ſunt, in illis ſceptrum verbi tui collocaſti, ad quod conuellendum iſti ſuas vires conferunt. Ne ergo illas internecione excindi patiaris, potius illas tuere Pater ſancte: hic enim honos tuus & decus vnà cũ illarum ſalute agitur. Mitte Angelum DOMINE, Angelum (inquam) illum quem aduerſus Sẽnacheribum miſiſti, aut excita Iuditham quãdam aduerſus iſtum Holofernem, ad liberandam tuam Bethuliam. Ne procul am à nobis abſiſtas, neu te rebus aduerſis occultes. Impius enim egenum per ſummam inſolentiam exagitat, & rebus ex ſententia cedentibus exultat. Eò venit arrogantiæ, vt maieſtatem tuam parui faciat, nihil animo verſat quàm non eſſe Deum. Os eius execratione, dolo & fraude plenum eſt, ſub lingua eius iacet diritas & moleſtia:

in insidiis latet, locis occultis innocentem interficit, solitudinem & inopiam miserorum oculi eius speculantur; tum secum ait, Obliuiscitur Deus, vultum suum auertit, ne vnquam cernat. Eia ergo DOMINE, surge, attolle manum, frange brachium scelerati, accipe scutum & clypeum, vt opem iis feras qui tui Nominis causa iactantur & affliguntur. Vibra hastam, & aditum præclude iis qui illos insequuntur: sint instar aceris vento expositi, iter illorum sit tenebricosum & lubricum, & Angelus tuus eos continenter ponè vrgeat. Et quoniam DOMINE, sunt ex tuis nonnulli qui, quemaddum Daniel Babylone, te colunt & precantur, sed non eo fidei robore quo decet, quoniam instar Heliæ timent ne soli in toto orbe supersint, te DOMINE qui ades iis qui debilitatis sunt animis, qui eos seruas quibus languescit cor & labascit, qui eos respicis qui te metuunt, & tuæ bonitati fidunt, vt eos à morte eximas, & miseris temporibus incolumes tuearis: illos apud te conserua vnà cum septem millibus hominum qui Baali non congenularunt: confirma eos, vt olim Danielem tuo Spiritu confirmasti: serua eos, vt tres illos in camino, ne immane illud Nabuchadnesaris simulacrum venerentur: illum potius DOMINE ex hominum consortio abige, consuetudinem ille habeat cum feris agrestibus, herba pascatur, instar bouis, quoad te agnoscat supremum dominatorem, Regem Regum, & Dominum Dominantium, cuius sit constituere Principatus, eósque dare & adimere quibus & quo videtur tempore. De iis porro Pater misericors qui per carnis infirmitatem & fidei exiguitatem, tanquam oues absque pastore, inter efferatos fame lupos, corpore suo crustulum istud in carnem transsubstantiatum, accidens istud absque subiecto venerantur coacti (errore communi, qui legis locum tenet) Missas adire, vt capiti & fortunis consulant: petimus & oramus, ostende illis & fac vt serio viuóque sensu agnoscant apud

se,

se, quanto honorem tuum & gloriam vitæ deceat ante-
ponere: agnoscant quanto dedecore maiestatem tuam
afficiant, si paululum modò falsos deos colant, quorum
ne nomina quidem Dauid suo ore vsurpare volebat: ni-
mium esse impudicam, quæ, vbi lapsa est, maritum
non fert castigantem, sed ad adulterum statim recur-
rit: te vomere tepidos, tibi non placere eos qui vtrinque
claudicant: qui vitam propriam, patrem, matrem aut
fortunas pluris quàm honorem tuum & gloriam facit,
eum indignum esse qui in tuorum numero habeatur.
Qui coruos alis, qui splendidè vestis & ornas lilia agri in
nostro conspectu, qui populum tuum in solitudine
manna, cibo pretioso, aluisti, illisque tanquam deliciis
& amoribus tuis vestimenta non detrita seruasti: tu
Pater euelle ex tuorum animis istum inopiæ metum,
quem Diabolus, mundus & caro animis hominum in-
iciunt. Reduc illis in memoriam Domine, quemad-
modum Filius tuus Dominus noster Iesus Christus vi
admirabili liberalitet eos pauit qui sui obliti illum se-
quebantur (vt eius verbum audirent) non secus ac o-
es pastorem. Ostende illis brachium tuum sibi sem-
er esse simile, neque vnquam breuius aut infirmius fie-
i, nisi quantum nos ingrati, ignaui & diffidentes cur-
um tui fauoris & benignitatis auertimus aut impedi-
nus. Et quoniam immanis est culpa quam in eo genere
ui admittunt, Pater, qui non vis mortem peccatoris,
ed postulas vt resipiscat & viuat, conuerte eos ad te
DOMINE, & peccata illis ne imputes. Tange illis ani
uum, vt tetigisti Petro post abnegationem, vt agnoscant
uàm grauiter in te peccent, se coram te deliciãt, gemant
& defleant peccata: sicq; manu tua erecti, se robustos &
rmos præstent in recreandis fratribus infirmis. Aperi
iam illis iter Domine, vt statim Sodoma egredi pos-
nt, antequam ii à quibus miseri coguntur ob lenticulæ
fam se hæreditate cælesti abdicare, sua cœpta & impia
ssilia perficiant. Ne alliorum & cæparum Aegypti vllo

desiderio tangantur, potius sciant quanto melius sit pa-
lulum panis cum pace & quiete animi, quam domus tota
opibus plena, cum animo continenter inquieto & trepi-
do: longe præstare vnum diem in atriis tuis, quàm mille
alibi: satius esse infimo loco manere domi tuæ, quàm o-
pulentas impiorum ædes incolere. Recordentur mise-
ri, quum seipsos intuentur, profusi illius nepotis Euange
lici, & illius exemplo cibum porcorum relinquant, certò
persuasi te magnum esse illum Patrem-familias paratum
ad illos excipiendos, neque minus liberaliter habendos
quàm eos qui nunquam domo exierint. At qui animo ad
omnem impietatem proiecto sacrum cultum tuum reli-
querunt, sese omni impietate contaminantes, imò se cum
istis parricidis adiungentes, siquid adhuc misericordiæ
illis reliquum est, si qui inter eos electorum tuorum nu-
mero sunt, eorum DOMINE miserere, eos reuoca in
sanctam tuam familiam, vnde exulant. Deiice eos, & in
terram prosterne, quemadmodum olim Saulum, qui
quum Filium tuum in membris persequeretur, conuer-
sus postea constantissimus æternæ tuæ veritatis testis
extitit: vt erecti à te & fulti ardentius postea gloriæ tuæ
seruiant quàm antea. Quod si obstirmato animo veritatem
quam norunt, de industria oppugnant & te contumelijs
afficiunt, fac eos Deus similes rotæ & turbini, insequen-
eos terrore & trepidatione, vultum eorum ignominiæ
suffunde, iramque tuam in eos vibra, pluant in eorum ca-
pita carbones candentes, ignis, sulfur & ventus procellæ
sit demensum poculi illorum: vt totus orbis agnoscat te
nostrum Deum & seruatorem esse.

Tum nos ouilis gregis tui, quem pabulo
Alis, tueris numine:
Et posterorum posteri, laudes tuas
Cunctis canemus seculis.

Aleth. Quum videas hodie Politice quàm misero lo-
co sit Gallia, & nunc magis quàm vnquam alias egeat fi-
do amicorum consilio, vehementer miror, si qua te pa-
tri-

triæ cura & charitas tangit, qui fieri potuerit vt animum induxeris illam deserere, quum potius te totum impendere deberes ad medicinam vulneri faciendam, & illam ex rabie & insania qua tenetur, liberandam.

Polit. Non aliter profectò quàm flens exii, & cum incredibili animi ægritudine, quòd prospicerē proximum & certissimum miseri regni interitum, qui breui ob res omnino turbatas futurus est, quémque nullo pacto vitari posse audeo affirmare, idque ex omnium sententia qui verè iudicant. Mitto religionem istam Hugonotorum, in qua nihil omnino vnquam potuit mihi arridere, quāuis probam vitam & magnam morum conuersionem in iis perspexerim quos in vicinia illam Religionem amplecti vidi: mitto barbaram illam carnificinam quam Historiographus cōmemorauit. Vnum dico, sic omnia illic administrari, vt nulla maior flagitiorum colluuies, nullum vetrius malorum chaos conspici queat, siue iuris dicendi, siue Reip. gerendæ administrationem ab ouo ad mala (quod aiunt) spectes. Quid dico spectes? quod videre non possis, quantumuis quæras. Ista iam esse desierunt, iampridem abierunt: reperiuntur duntaxat in literis, harum rerum simulacra modò & nomina conspiciuntur. Etenim quod attinet ad eum Dei cultum quem à Patribus bona intentione acceperamus, hodierni principes & qui in illorum aulis versantur, deinde istorum exemplo innumeri Nobiles, ciues & mercatores planè rident & contemnunt, miles fastidit & execratur. Aula (vt vno verbo dicam) Regis exemplo, & magna Franciæ pars, aulæ exemplo, referta impietate & atheismo. Epicuræus numinis contemptus, incesti & nefandi Sodomitarum more concubitus, & cætera omnis libidinis monstra inter illos trita sunt & vulgata. Intellexisti quoties fides publica (quod vinculum firmissimum debet esse ad societatem hominum inter se seruandam) violata sit: vt cui fidem habeas, iam planè nescias. Post edicta irrita illud demum solidum fore arbitrabamur, quod factum est

die 22. Auguſt. Anno 1570. Francia illa tantopere afflicta, ſuis calamitatibus releuari aliquantulum videbatur, & melioris ſpei initium videbamur videre. Hugonoti multis iniuriis acceptis moderatè tamen ſe gerebant, & patiendo vincere quàm vlciſcendo malebant. Regem adibant illi quidem & conſilium, quoties violabantur, vt quas accipiebant iniurias propulſarent: ſed quamuis duntaxat ſimularet ſe vindicaturum, tamen hoc illis ſatisfaciebat. Oppida quæ illis Rex tanquam ad perfugium in biennium conceſſerat, longè ante tempus præſtitutum iis tradiderunt quos Rex præficere voluit. Ea fuit cauſa cur Rex per totum Regnum codicillos dimittendos curauit, quibus edictum pacificatorium confirmabatur: qua in re nihil ab illo & à ſapiente ipſius conſilio prætermiſſum eſt ad cicurandos Hugonotos, non ſecus ac falconarius qui accipitrem peruigil condocefacit ad capitium induendum. Primarii Hugonoti in Aulam venerunt à Rege acciti, tanquam ſe in illius manus tradentes, qui iucundiſſima ſibi eſſe eorum officia præ ſe ferebat. Neque verò dubium eſt quin, ſi eorum opera vti perrexiſſet, vt cœpiſſe videbatur, hodie Flandriæ patronus eſſet: & has religionis partes ſi tutatus fuiſſet, facilè ad Regnum Romanorum, & ſoceri morte ad Imperium ipſum pertigiſſet. Tragicas iſtas Regis Nauarræ & ſororis Regis nuptias, quibus omnis ſuſpicio Hugonotis fuerat exempta, ſperabamus fore pacis confirmationem: quum infœlix ille & ominoſus globulorum iactus (quo petitus eſt Amiralius eo ipſo die opinor, Edicti pacificatorii, nempe 22. Auguſt. atque adeo extremo die biennii conceſſi ad perfugium oppidorum) mihi & meorum multis ſuſpicionem iniecit, iampridem fuiſſe aduerſus illos aliquid paratum & meditatum, & iactum hunc non ſine magno noſtro malo futurum. Vt cogitabam, ſic contigit. Imò abſit vt vnquam cogitarim tam funeſtum ouum ponendum, fouendum & excludendum eſſe in Gallia. Hoc quidem certè

certè ſuſpicatus ſum, temporum rationem ad non mediocrem quandam calamitatem accipiendam componi. Ipſa narrari audiſti ſi non omnino, at ſaltem aliqua ex parte. Nunc mihi illud vide, quis ſit probus qui ſibi tantillum in Gallia habitandum eſſe putet. Quod ad me profectò & multos ex meis attinet (quos tamen Catholicos eſſe credas velim) cognita hac vanitate & perfidia Regis (dicendum enim id quod res eſt) conſilii etiã quod ex fœmina Itala, Florentina, è domo Medicea, ex clientibus addictis & ſtudioſis Papæ, ex Italis, Lotaringis, neq; vllis aliis, quum videremus remedium nullũ afferri poſſe, veriti ne poſtridie ide mnobis quod Hugonotis accideret, ſi nimirũ hoc Regi ſuaderet ſplẽdida bilis, aut præcipui eorum qui ſunt à conſiliis, qui quidem nobis infeſtiſſimi ſunt, vt qui eorum dolos & tecbnas calleamus, & qui Galliæ ex animo bene cupiamus: veriti, inquam, ne ſubitò calumniis nos obruerent, & facerent quod ſolent qui canem volunt interficere, vt rabie illum agi dicant, ne præterea poſt cædẽ cauſa noſtra diſceptaretur, vt fit in cauſa Amiralii: maluimus maturè egredi, quàm diutius morari: maximé verò vbi animaduertimus Principes finitimos partim vix vlla cura tangi, partim etiam lætos eſſe de interitu & exitio tot Nobilium Gallorũ quorum egregia erga Regem fides conſtabat. Neque verò exiguam voluptatem capiũt, quum vident Regem brachio dextro læuum & reliqua corporis membra ſibi amputãtem. Hoc verò nominatim dico, voluptatẽ illos capere. Etenim ſi dolerent, ſi moleſtum illis eſſet tam acerbum ſpectaculũ, obſtarent tanto malo, vi illũ impedirẽt, ne lõgius progrederetur, & ſe dilaniaret: non aliter quam ſolẽt amicos mente captos, qui ſe præcipites dare volũt, vigiliis & vi coercere manus & pedes vinciunt, ne ſæuiãt. Verùm quum animaduerto Principes finitimos ne illud quidem curare vt literis moneant, aut nuntiis miſſis doceant, quàm ſibi ille & ſuis malè conſulat: non dubito affirmare hoc illis voluptati eſſe, Dei eſſe digitũ Galliæ

ſuccenſentis, neceſſe eſſe, vt (quò tandem res ſit caſura) clariſſima illa & florentiſſima Valeſiorum domus corruat, & potentiſſimum hoc regnum in alterius manus veniat, aut certe in multas partes diuidatur.

Iam verò illud ſcio, inter cæteros finitimos Principes Regi Hiſpaniæ multos eſſe in Gallia conſilii participes, & homines iampridem addictiſſimos, ducatis Caſtillianis tot ſtudioſiſſimos eſſe comparatos in ipſo Regis conſilio (nolo affirmare, Comitem Retium, Lanſacum, Moruillerium, Lemouicum & Villaregium accipere ab illo penſionem, vt ſatis omnibus conſtat: neque domum Gonzaguæam perpetuò Hiſpaniſiaſſe) vt ſi Principis modò Vranii & fratris Lodoici opera velit vti, cum gratia qua valent, & copiis quas habent, (facilè autem poterit illos ſibi placare, vt tanta voluntate & fide in eum ſint quanta vnquam antea fuerunt, modò illis & reliquis liberam conſcientiam concedat, priſtinaſque tum dignitates tum bona reſtituat) non ſolùm affirmo illos totum Belgium pacatum & tranquillum reddituros, ſed ante annum Franciam ipſam, hodie à Regis amicitia alienatam illius imperio adiuncturos. Neque verò dubium eſt quin Princeps ille & frater libentiſſimè operam ſint nauaturi, tum quia ſe à Rege luſos eſſe perſpiciunt, qui eos in bellum coniecit, deinde implicatos reliquit: tum quòd nihil eis optatius poteſt accidere quàm vt oblata tanta facultate redire poſſint in gratiam cum ſuo Principe. Accedit etiam hoc magno illis decori & laudi fore. Porrò Hiſpanus ſatis cauſæ nactus eſt, ad eos ſibi reconciliandos, non modò vt regnum hoc malè firmum arripiat, ſed etiam vt Belgium ſibi confirmet, quod alioqui non mediocriter periclitatur, ob egregiam adminiſtrationem ſenis illius Albani. Quòd ſi Hiſpanus hac in re nolit opera Principis vti, malitque ipſum Belgium amittere quàm recipere illius officio, & aliud acquirere: hoc verò eſt ſibi ipſi ſuccenſere. Quicquid ſit, ſi mauult ad eam rem adhibere

Ducem

Ducem Sabaudum, vt illi cedant Lugdunensis tractus, Delphinatus & Prouincia, finitimæ regiones, non dubito quin Princeps ille, cui recens memoria iniuriarū quas tum patri tum illi intulit Francia, dolori esse debet, qui bellicis laudibus clarus est, quem fidem datam suis Hugonotis seruare aiunt, facilè ad se attrahat si minus totam Galliam, at maximam certè partem. Adiſta verò siquis obiiciat, hanc suspicionem in illum Principem cadere non posse, propter affinitatis coniunctionem quæ intercedit, respondeo leges amicitiæ, affinitatis aut alterius cuiuslibet coniunctionis non tanti esse principibus, quum de tuendo aut propagando imperio agitur: imò ditionis suæ fines ibi constituunt, quo gladii mucro potest pertinere.

Cæterùm Hispano non desunt iustæ expostulationes cum Rege, nempe quòd eius vrbes ad defectionē solicitauit, & rerum statum euertere studuit, rebelles apud se in aula honorificè habuit & ornauit, cū Comite Lodoico sæpe consilia contulit, illius conatum probauit & nō vulgaribus promissis adiuuit, auxilio dedit nō paucos ex subditis, qui in Belgium infestis agminibus ingressi sunt, tinere per Galliam apertè facto: Sanremigium & alios liquoties misit, qui Albano verba darent, & illum detinerent, dum ille rationem inibat qua susceptæ res ad exitum perducerentur. Quinetiam de occupando Attrebatum oppido cogitauit, opera Refugii minoris, qui periit Lutetiæ: is enim ad Regem venerat, monens illum mitteret armatos. iam facultatem certam occupandi oppidi oblatam esse. Tutum aditum in suos portus concessit piratis qui Hispanos spoliabant: Rupellanis imperauit vt classem Vranii commeatu iuuarent, sinerentque liberè quæ bello cepissent, deponere apud se, & vendere: palàm & in omniū conspectu passus est vt classis Vranianæ præfecti Gallos tum nautas tum milites deligerent: liberum Comitatum qui vocatur, tentauit: Mingueterium Capitaneum misit, qui Perusli portus exploraret: quā ad rem

nauim habuit onerariam ſpecie.ſed militibus plenã, qui capti ſunt in Inſula Spagnola. Conatus eſt pacem inter Turcam & Venetos conciliare, vt tota belli moles in Hiſpanum recumbat. Quin poſt mortem ipſius Amiralij Princípem Vranium ſeriò tum literis tum nuntiis ſolicitauit,& multa huc pertinentia fecit.

Iam verò Angliæ Regina, quæ eadem cũ Hugonotis Gallis Religionem profitetur,quibus tot iuſtæ ſuppetũt expoſtulationes(vt vetera illa taceã quæ fœdere illo paulo antè facto ſopita,nunc laniena hac excitari denuo poterunt) cui dubiũ eſſe non poteſt hãc confœderationem duntaxat factam fuiſſe ad præſtringẽdos Amiralio & cæteris Hugonotis oculos,quò magis aucupio paterẽt:quæ ſatis perſpicit quemadmodum Rex fidem datã nouit ſeruare: quam nõ latet duobus Regibus vicinis nullum eſſe amicitiæ aut fœderis vinculum, quàm quod neceſſitate & potẽtia ſeruatur & colitur, quorum ſi alterum deficit, iam nihil eſſe quòd vicini pollicitis fidem habeat:quæ facilè animaduertit expetitos fuiſſe à Rege Principes Angliæ primarios conſilii, non alia de cauſa, niſi vt Lutetiæ illo nuptiali epulo tractarentur: nuptiis fratris Anglicanis,ſi quidem aſſequi potuiſſet,id nouaturũ fuiſſe in Anglia quod ſororis matrimonio in Gallia perfecit,nempe Religionis atque adeo Regni interitum: Regem fratris ſuæ Reginæ Scotiæ auxilium ferre conari,nõ modò vt euadat ipſa,ſed aliud quidpiam maius moliatur,præterea id agere vt puerum Scotiæ Regem in Galliã transferendum curet,quo totam Britanniam in grauiſſimum diſcrimen aliquando adducat:denique opibus,potentia & conſilio bellum quantum poteſt alere in Scotia: quæ certior facta eſt iuſſu Regis à quibuſdam tentatam eſſe inſulam Gerſæam, vt illic opprimerentur & trucidarentur qui illuc ad ſuam tutelam confugerant:Hæc inquam,Regina, ad quam ſine vlla dubitatione Hugonoti reſpiciunt,& eius fidem imploranti,facilè poterit(ſcio)quoties volet,operæ eius ipſius,quem Rex expetebat, aut alterius cuiuſ-

pia

piam quem diliget, eas regiones recipere quorum nomina modò & ſtemmatage ſtat.

Quod ad Principes Imperii attinet, ſic habete, eos, ſi modo velint (velle autem debent) facilè recuperare poſſe Metas, Virodurum & Tullum, quæ Rex per fraudem Imperio ademit inſuper vlterius progredi. vt detrimentum ſumptuum belli quos in hac vrbe obſidenda Caroli Imperatoris iuſſu fecerunt, tũ in repetendis facturi ſunt, reſarciant. Vel vnus Elector Palatinus non vobis videtur ſatis cauſæ habere cur Regem ſibi infeſtum putet, quòd ad ſe pellicere conatus ſit Ducem Chriſtophorũ, & penſionibus demulcere Ducem Ioãnem Caſimirum, cum meditabatur omnes Religionem profitentes perdere, in primis Amiralium vnicè Palatino charum? Vnum dicam, ſi Princeps velit hanc iniuriam vlciſcendam ſuſcipere. & ad hanc rem opera vti Comitis Mansfeldij, cui cum ſuis equitibus grandis pecuniarum ſumma decretur à Rege) qui modica manu ſpecie repetendæ mercedis in Galliam ingrediatur (quod perfacile illi fuerit) nũquam talis rerum perturbatio conſpecta eſt, omniũ clamor & querela aduerſus horum malorum autores exaudiretur. Sed de Principibus exteris hactenus.

Quod autem in ipſa Galliæ venis & viſceribus eſſe video, id verò non mediocriter me mouet. Non dubito quin Mommorencii cum ſuis conſanguineis, neceſſariis, coniunctis, denique ſuarum partium hominibus, ad quos iuſtus dolor redit ex morte Amiralii & aliorum, quibuſcum vel generis vel amicitiæ vinculum intercedebat, conentur omni ratione pœnas de Rege, matre, fratre, Guiſianis & aliis qui vel autores vel monitores extiterunt Tragici facinoris ſumere. Si minus, ſtipites ſunt, ingi, magis ignaui & infidi ſuo generi (vt patriam omittam) quam vlli vnquam extiterint. Saltem hoc præſtandum illis eſt, vt ſe primo principi coniungant, quem patre ingreſſum in Galliam animaduerterint. Hoc enim certò ſciũt, de ſe & ſuis penitus actũ eſſe, Guiſianos nun-

quam passuros in incolumes maneant. Quin Rex ipse, quãtum audio, cum matre paulò antè quum loqueretur, palam deierans dixit nihil profectum esse nisi opprimat quatuor Aemondi filios: hoc enim vetere verbo Gallico quatuor Mommorencii filios designat. Itaque disiuncti sint licet, vnus in Gallia Narbonensi, alius Insuladami, alius hic, alius illic: hic præse ferat licet nihil se aliud qui venationem & aucupium curare: crebræ in aulam itiones & beneuolentiæ simulacra, quibus exceptus est, non magis illum malis eximent quam ipsum Amiraliũ. Quòd si memoria tenet quale Comiti Egmondo ipse cõsilium dederit, qui in Hispaniã proficiscebatur, quamq; ille graviter peccarit, qui non obtemperauit, sanè sibi ab istis cauebit. Alter quantacunq; diligentia quæcunq; mandantur obeat, alii licet Brutos nescio quos effingant, nunquam Regem fallẽt: nouit ille memores semper futuros iniuriæ acceptæ: habet ille consiliarios callidiores, quàm vt nænias istas sibi persuaderi patiantur.

Guisiani nunc quum videant eos sublatos quos suo splendori officere & solos suis consiliis obstare sciebãt, vident Mommorencios duntaxat conficiendos superesse, vt postea se omnibus charos esse iactent: nõ vobis videntur libentissimè vindicaturi quas ab illis contumelias acceperunt? Quid quòd egregium illum libellum titulo Mercatorum Parisinorum à suo Plãcio aduersus illos conscribi iussit, tanquam alterum Anticatonem? Quid quòd Cardinalem Lotaringum Lutetiam ingredientem tam ignominiosè accepit? vnde carmen illud ridiculum originem sumpsit. Sic ergo statuat ille, nisi anteuertet, nisi occupabit, eadem illi expectanda esse.

Postremò quid obstat quominus Lotaringi (quos certum est genus ducere à Carolo Magno) Gallicũ diadema, quod illis extortũ est, recuperent? Istud occulta quadam astutia facilè perfici potest. Quod si vi aperta tentare libet, plures illi duplo homines quàm Rex ipse (pace illius dixerim) secum habebunt. Plures illi tum ciuitates

tum

tum viros, qui à se stent, reperturi sunt. Sic enim habeatis velim, eos, si Frãcia peritura est, aut in alienas manus ventura, se illius sceptro quàm externum aliquem potiri malle. Equidem (verè dicam) quum videam quàm non tutum sit hoc Rege viuere, malim illos quãistos regno potiri. Illud dicam, Hugonotũ iure indignatum, & planè gentis Valesiæ pertæsum, optaturum, vel etiam (meo quidem iudicio) daturum operam vt Lotaringi quod suum est denuo accipiant: illos enim speraret sibi conscientiæ & Religionis procurandæ libertatem concessuros, & fidem data seruaturos, quòd recordarentur quanti istis sua perfidia constitisset. Iam enim aliquam sperandi materiam dederunt non fore se tam acerbos quàm fama ferebat, qui multos Hugonotos seruarunt (vt ab Historiographo audiuimus) & quotidie clàm seruant. Sed astutè effecerũt vt totius inuidiæ tempestas in Regem redundaret, tum ne ipsi culpã sustineant, tum verò vt si qui rem vindicandam aggredientur, hæc vltio petat eum qui se sceleris autorem profitetur. Sanè sapuerunt, qui in se factum hoc noluerunt transferri.

Sed attendite quæso fratris Regis, & matris technam in hac Parisiensi Tragœdia. Pridie quàm ageretur, vesperi ambo Regem adeunt, petunt & obsecrant vt rem susceptam acceleret: si hæc facultas prætermitteretur, nunquam talem se nacturos quæ tum aduersus Hugonotos dabatur, teneri irretitos istis plagis quas iampridem promiserat: rationem quam sæpe frustra tentassent de illis excindendis, in manibus paratam esse: non esse iam cunctandum, sed semel transigendum. Hispanum sine dubio (siquidem Vraniana negotia labefactari incipiebant iam inde à Genlio profligato) olim in tempore hanc cladem vindicaturum, quam eius opera in Belgio occupando accepisset. Quamobrem iubere: subitò & serò rem perfici nocte proxima, nec in longius tempus differret: se quidem cum Guisio, Aumalio, Nineruensi & Retio prouidisse, omnia vt sint parata. Quòd si diutius rem proferri

vellet, illa cum lachrymis, hic summa contentione orat & obsecrat, sibi per eum liceat Gallia excedere: hanc officiorum quæ non mediocria in illum constabant, mercedem petere: certum esse Gallia egredi, & eò concedere quò harum rerum nullus rumor vnquam perueniret. Hac tam feruenti oratione Rex permotus & coactus est, vt illa ipsa nocte id perfici pateretur quod in aliud tempus producere decreuerat, vt interim obseruaret quò recideret spes rei Belgicæ, opera quam illic nauabant Hugonoti. Hoc illud est matris strategema in gratiam filii charissimi, & in iacturam alterius, qui eam iampridem fastidit, quémque leuiter valde à nescio quo tempore diligit. Effecit vt doctrinam Machiauelli sequutus sit, de non seruanda fide, nisi quantum negotiorum ratio postulat: illam neglexit quàm Dionysius Siculus peritior & prudentior amplectebatur, qui apud se hominem improbissimum habebat, in quem nimirum populus libertatis cupidus totam iram euomeret. Ita mater odium Dei immortalis & omnium hominum in maiorem natu filium attraxit, minorem magnis copiis armauit prætextu excidii Hugonotorum. Quid? annon omnia illi appositè sunt excogitata? non præclara data facultas vt quod iampridem concupiscit regnum inuadat?

Historiog. At istud strategema minimè intellexeram; illud quidem mihi constabat, magna illum cupiditate regnandi teneri, & sublata spe Anglicani Regni, Regem & matrem, vt illum placarent, misisse ad Polonos legatum qui connubiū Sororis Regis Poloniæ ipsi peteret, tametsi iam affectæ ætatis & subuetulæ: ratos illum eo aditu facilimè ad illius Regni successionem sibi viam facturum, mortuo Sigismundo, qui tum regnabat; neque mihi incompertum erat, Regem & Reginam matrē, audito inter hæc excessisse vita Sigismundum, misisse rursum in Poloniam Mōlucium Episcopum Valentinū cum præclaris mandatis & ampla potestate splendidè mentiendi, & magnifice

gnificè promittendi, quæ non seruarentur: qui omni ope & artificio contenderet, vt Regnum illud vacuum duci Audico deferretur. Nunc verò quo diligentius hoc strategema considero, eo insignius esse comperio & dignius quod locũ in mea historia habeat: Sed Regẽ scio, si ad ista attentius aduertat animũ, alterius consilia impediturum.

Polit. Non secus atque alter, vt caueat ne opprimatur aduersarium anteuertere poterit.

Histor. Nimirum illud est, Fallacia fallaciam trudit, Cretensem agere in Cretensem.

Polit. Ego verò magnates istos suas res agere suo arbitrio sinam: pergam in meo instituto, vt aliorum consilia recenseam. Hoc sine dubio noui, veros Catholicos Gallos, etiam cæteris quiescentibus & nouum aliquẽ Bodillum exoriturum (à quo perhibet Mich. Ritius Neapol. interfectum Chilpericum Franciæ Regem, dum à venatio rediret, propterea quòd illum palo alligatum flagris cædi fecisset, & Reginam grauidam eadem de causa truncidatam) qui domum Valesiam funditus deleant, si semel furor exardescet.

Aleth. Mihi verò in memoriam reducis quæ Ronsardus grauissimis & apertissimis verbis de isto Bodillò prodidit in Franciade, quod poema Gallicum in lucem emisit post cædem Parisiensem: vbi quum de tribus fratribus loquitur, appositè admodum sic ait, Franciados extremo libro quarto.

Tres simul ignaui, glebæ telluris inertes,
Siue togæ siue ad Manortia munera inepti:
Deuouet hos populus diris: vnum, quia molli
Desidia torpet, sanctum nec adire Senatum,
Nec quicquam nouit generoso pectore dignum,
Nec lites audit, nec rem populive suámve
Curat, iussve suis dicit: sed turpiter illum
Otia delectant, frangit malesuada voluptas,
Proditor heu populi, sibi perfidus. Ergo nec vltra
Conscendet solium, nec demens sceptra tenebit.

Et paulo pòst.

Non secus atque lues populis exosus, & illi
Inuiti parent proceres, tum percitus ira
Ardenti furere incipiet, fortémque Bodillum
Flagris præcipiet cædi, palóque reuinctum
Ostendet vulgo lacerum crudeliter artus.
Ast illi tumidum vindictam pectus anhelat,
Atque iram tacitus mandit, multòsque dolorem
Per menses cohibet: mox iusto accensa pudore
Ira virum ad facinus compellet, nec diadema
Nec trabeam aut fasces veritus, Regémque necabit
Audax, & Regis tepefactam sanguine dextram
Iniiciet grauidæ præceps vxoris in aluum,
Exitio inuoluens prolem, matrémque, patrémque.

Postea autem orationem suam conuertens ad minimum natu fratrem, quem negant consilii huius nefarii participem fuisse, vt eum ad laudis studium cohortetur, sic alloquitur:

Non decet Heroem, Princeps Troiane, minaci
Esse animo, proprium Getuli hoc esto leonis.
Mitius ingenium Reges exornet, & illos
Diuino generi similes testetur.

Deinde rediens ad descriptionem Regis addit:

Perdet adulator miserum, vendentibus aulæ
Fumos præbebit patefactas credulus aures.
Pernicies Regum certissima, quæ male cautis
Sermones tetros mellito immurmurat ore!

Et paulo pòst.

Hæc solet amentes agitare inscitia Reges,
Vt paucos ornéntque planos, in deliciísque
Stulti habeant, non quos prudentia raráque virtus
Commendet, sed qui incessu, vultúque oculísque
Grande sophos simulent: digni postrema tenere
Artifices ipsos inter vulgúsque profanum.
Pinguis aqualiculus paucis lurconibus extat
Ex iis quæ tandem è misera vix plebe seuerus

Expri

Exprimit exactor. Supremos gratia honores
Immeritis sic conciliat, dignósque repellit,
Quis furor, vt qui se communem ciuibus vnum
Esse patrem meminit, paucis palponibus omne
Addicat studium, reliquos malus aspernetur?
Vt delatori patulam citò prebeat aurem,
Atque aliquem claris ladat natalibus ortum,
Cui calidus feruet circum pracordia sanguis?
Scilicet euentu discet Chilpericus olim
Quantum crudelitas temeraria Regibus obsit,
Quum sceptrum simul insanus cum sanguine perdet.

Aleth. Quantum video, Ronsardus iste mirus est dicendo, & mira narrat. Nunquam putassem illum ausurũ hæc tam planè tamque apertè viuo hoc Rege exponere, licet nominibus confictis illa tegat.

Philaleth. Confer nunc quæso quæ vidimus cum hac narratione.

Aleth. Miserrimus profecto status est: quid dicam non habeo.

Polit. Sed qui fieri potest vt Ronsardus ista publicauerit?

Aleth. Imò longè plus audet. Hunc Regem & eius regnum sigillatim describit sub nomine Chilperici, aulicam impudicitiam, cædes, stellam quæ noua conspecta est, & alia portenta: ipsius denique Regis obstinatum animum, vt prænuntiet fore vt ille vxorem pellicis accipiendæ causa strangulet.

Polit. Narra nobis quæso te, si quidem memoria tenes.

Aleth. Non possum omnia: hæc accipe.

Indignus regno Chilpericus, iste popelli
Helluo, cuius edax animum sitis vrit habendi,
Omnis mancipium sceleris, sæuúsque Tyrannus
Immodicis populum qui vectigalibus vrgens
Expellet ciues, aurique cupidine flagrans
Vicinos fratrum fines inuadere bello

Tentabit, tum neminem amans, tum nemini amatus.
Agmina scortorum quò pergit cuique trahendo,
Immundus, nullum Veneris nisi numen adorans
Et ventris, noctésque diésque ignobilis oti
Desidia absumet, populum nec quæstibus ullam
Audiet implentem. Veterum tura omnia, sancta
Gallorum leges isto regnante silebant.
Quinetiam Mystarum erit infestissimus hostis,
Quæque olim longis solatia grata laboris.
Ampla Sacerdotum studiosis præmia reddi
Mos erat, aut qui olim virtutis præmia honores
Cedebant, uni scelerato Rege dabuntur
Assentatori: virtutis fœda voluptas
Accipiet laudem meritam nemènque verendum.
Nunquam tanta aliàs irati mentis alto
Signa polo videre homines, nec conscius æther
Ventura cladis, bellorum atrique cruoris
Tot portenta dedit: terræve tot oppida motus
Infaustum sternet miseris mortalibus omen:
Ex imis nunquam toties penétralibus ignes
Diffidere solum, toties nec crine minaci
Antea terrifici cœlo rubuere Cometæ.
Plurima ventorum violentis sylua iacebit
Flatibus, insanóque ruens Aquilone procella
Horrificos edet strepitus, cultróque cruorem
Sudabunt scissi panes, mirabile visu.
Arboribúsque inerunt hyberno sydere flores.
Nec tamen admonitus sceleratam ponere vitam
Impius iste animum inducet, sed pectore cæco
Signa minásque Deum spernet contemptor Olympi:
Perfidus in propria peccabit coniuge, turpi
Fœdus adulterio genialia fœdera soluet:
Consortémque thori ferali nocte peremptam,
Hærentem lateri, & duro blanda oscula dantem
Sera exhorrescens meritò indignabitur ætas.
Ah demens! cuius cervicibus imminet ira

Cæli

Celestis, instas scelerum panasque reposcit.

Post hæc de nescio quo Clotario loquens, & quemadmodum Reginam matrem (quam nomine Brunechildis innuit, vlturus sit exponens, ita subiicit:

Artibus egregius belli, clarusque tropheis,
Certus per mediam mortem laudemque decusque
Quærere, vindex æquus eris, scelerisque nefandi
Scena quod admisit Brunechildis, sumere pœnas
Instituet: cauda cuius religabit equina
Collectam in nodumque comam lanesque lacertos,
Tum miseram scabras valles per & aua saxa,
Per inga, per vepres raptabit, fruticque passim
Linquet sparsa, lupis abiectam immitibus escam.

Non multo pòst.

Non ea Lastrygonum feritas, non antra tulerunt
Cyclopum tantam rabiem, quantum ista cruenta
Mente agitat facinus: regni furialis Enyo,
Nectere docta dolos, ex bellis altera bella
Consuevit serere, & iam litibus addere lites.
Sed merito tandem vindex Clotarius illam
Supplicio afficiet, sortem miseratus acerbam.

Polit. Deum immortalem, quid audio? Quid vnquam clarius quicquam vidit nominibus fictis describi? Miri sunt artifices isti poetæ. Sexcenti sunt qui ista legent non intelligentes: neque tamen amplius paucis verbis dici potest.

Aleth. Imò quod magis mireris, Iaminus, qui argumenta in Franciadē Ronsardi conscripsit, quique sensum arcanum horum verborum tenet, & mētem autoris, hæc illustrauit in argumento li. 4. vbi de errore Pythagoræorum agit, quem metempsychosin vocant: quasi animi ex aliis corporibus in alia migrent. Ait enim Ronsardum consultò hac falsa sententia vti, vt hanc habeat facilioem rationem qua animos veterum Regum in noua corpora transfundat. nisi enim ita finxisset, Historiographū, non poetam habendum fuisse.

Polit. Rectè sanè. Mihi tamen vehementer doleret si vaticinium Ronsardi verum in Regina vxore reperiretur, vt à marito suffocetur. De Brunechilde quidem certè nihil sum solicitus, quidnam illi accidat. Vtinam in Galliam nunquam venisset: non in eas calamitates incidissemus. Sed vide quæso quam materiam Gallis omnibus Ronsardus præbeat, quum Bodilli facinus commemorat in Regem, Reginam & prolem designatum, quòd virgis cæsus esset. An non tibi ita videtur à minori ratiocinari? Qui innumeris partibus crudelius quàm Bodillus estis accepti, in capite, dignitate, fortunis, coniugibus & liberis, quorum propinqui, consanguinei, affines, necessarii & vicini læsi & trucidati sunt contra ius & fidem publicam, si quis est cui feruet circum præcordia sanguis, si quid generosi animi in vobis supereſt, quin vos nunc præbetis fortes aduersus hunc populi proditorem, sibi perfidum, demovorum istum, id est populi helluonem, sæuum tyrannum, auri cupidine flagrantem, nemini charum, sceleratum Regem, vitiis induratum? hæc enim pars est elogiorum quibus hominem ornat. Non satis perspicitis qualem se iste gerat cum matre, fratre & aliis qui illi sunt à consiliis? Num expectatis dum plura videatis è cælo signa, aut plures in terra sceleratæ perfidiæ testes? Quasi dicat frustra expectari. Sic habeto Alethia, Ronsardum mirificè esse subtilem, occultos illi esse aculeos.

Aleth. Prorsus occultos. Quàm vellem hæc omnia plana esse, quo omnes ad officium faciendum excitarentur. Nollem tamen tyrannus resciscere quicquam ab illo de se scriptum esse, quantumuis obiecto velo: sine dubio illum necaret, aut certè vi ad palinodiam adigeret: non secus atque coegit metu Pibracum spe accipiendæ abbatiæ, scribere Latinam epistolam ad Staniſlaum Heluidium Polonum, vt proditionem suam fuco aliquo illineret.

Polit. Vera narras. Istam epistolam vidi: non putabam à Pibra

à Pibraco ſcriptam : non eſt auſus miſer præ pudore nomen ſuum profiteri. Ah quàm illius vicem doleo! Parum ſanè hactenus apud Polonos promouit ſuis ſcriptis: iam enim ſatis ſupérque nota eſt illius perfidia, quem ſua epiſtola conatus eſt ornare. Nihil aliud afferre neceſſe eſt quàm locos illos Ronſardi, vt quis diuinare queat quid ſit, & quem perſtringat. Quòd ſi Hiſtoriographus emitteret in lucem quæ nouit, vt nuper cõmemorauit, ea abunde teſtimonio erunt quæ fuerit cæſorum innocentia & parricidarum crudelitas.

Hiſtoriog. Ne dubita quin ſim emiſſurus, ſicque habeto me omnia ſigillatim obſeruaturum, quibus rationibus incautos fefellerint, tum literas occultas, technas, fictas lacrymas, verba inuolucris tecta, ſenatuſconſultum etiam aduerſus Amiralium factum multis diebus poſtquam mortuus eſt, aliud item aduerſus Bricomaldum & Cauanium. Nihil tacitum prætermittam Deo bene fauente.

Eccleſia. Quod mihi S. C. aduerſus Amiralium, Bricomaldum & Cauanium narras? Non intelligo quid dicas. Enimuero eſtne aliquod aduerſus illos S. C?

Hiſtoriog. Tu verò hoc ignoras?

Eccleſia. Ego verò iſtuc.

Hiſtoriog. Dicam. Poſt mortem Amiralii & editam ſtragem 24. Auguſt. die 26. Rex (vt iam narraui) Palatium adiit, ibi pro tribunali confirmauit hæc omnia geſta fuiſſe proprio & ſpontaneo ſuo iuſſu. Iuſſit vt inquireretur in eam coniurationem quam obiecerat Amiralio, audirentúrque teſtes maximè idonei & conſentanei. Senatus Pariſienſis (collaudato Regis facto, qui fortiter trucidaſſet Hugonotos) negotium dedit vt hæc fierent, cauſam informauit, è parricidarum indiciis reum egit cæſum Amiralium, deinde Bricomaldum & Cauanium, qui iiſdem diebus traditi ſunt in cuſtodiam, & ſeruati ad honeſtam aliquam ſpeciem tam horrendo parricidio prætexendam, vt exequi aliquid viderentur ſolenni iudiciorum for

ma obseruata. Tãdem factum est S. C. quo curia à Rege delecta tempore iustitii, vbi causam post mortem cognouit, iudicia, confessiones & negationes aliquorum ex reis item chartas nonnullas quas visas fuisse dicere ausi sunt: placuit Amiralium maiestatis conuictum teneri. pacis publicæ hostem, rerum nouarum cupidum, caput, Principem & autorem coniurationis aduersus Regis & Regni statum initæ, abominandam eius memoriam & infaustum nomen in posterum haberi. Ad expianda autem hæc scelera placuit ipsius cadauer aut (si minus reperiri posset) simulacrum à carnifice vehi & rapi cratiminex impositum à carcere Palatii ad plateam Arenariam, ibique è patibulo suspendi ad hanc rem nominatim erecto & collocato è regione Comitii Parisiẽsis, siue domus publicæ, cui maneret affixum 24. horarum spatio postea vehi ad furcas Monfalconias, ibique in editissimo & excelsissimo loco poni. Insignia, arma & stemmata caudis equinis rapi per totam Lutetiam, & quibuscunque oppidis aut vicis comperirentur ad illum ornandum antea locata esse, deinde in testimonium sempiternæ ignominiæ frangi & comminui à carnifice in compitis & locis quibus solent præconia publica edici; signa, tabulas, imagines siue pictas siue fictas, aut alia quælibet simulacra, vbicunque essent, frangi, obliterari, comminui & lacerari. Idem vt fieret in diœcesi Parisiensi, omnibus iudicibus & magistratibus imperatum: nemini licere vt horum rerum quicquam apud se haberet. Bona illius feudalia quæ vocant, à corona Franciæ mouentia (vt loquuntur) in fiscum relata, alia feuda & bona tum mouentia tum immobilia Regio fisco addicta: liberos ignobiles, plebeios, infames, intestabiles, indignos qui vllas dignitates, ornamenta, honores aut bona vlla denique in Gallia consequantur, siqua autem possideant, publicata esse. Arcem porrò & domum ingenuam quæ erat Castellione ad Loniam, quam ipse Collinius (hoc enim erat gentile nomen Amiralii) incolebat, inferiorem etiam chortem, &

quic

quicquid ad domicilium totum pertinet, euerti & ſolo æquari, neque in poſterum quicquam extrui aut ædificari: arbores quæ decoris & ornatus gratia circa ædes conſitæ eſſent, medias ſecari: in area ipſius arcis columnam lapide quadrato erigi, in qua tabula ærea ſtatueretur, illicque S. C. incidi in ære: Deinceps quotannis 24. Auguſt. preces & ſupplicationes publicas fieri, quibus gratiæ Deo agerentur, quòd patefacta coniuratione ſupplicium de coniuratis ſumptum fuiſſet. Simile S. C. (ſi modò excipias caput poſtremum de diruendis ædibus) factum eſt aduerſus Bricomaldum & Cauanium. Hæc duo ſenatuſconſulta publicata & executioni mandata ſunt 27. & 29. Octob. 1572. vnum in ſimulacro effigio vice cadaueris Amiralii, quod iampridem ſublatum fuerat in furcas Montfalconias, poſtea detractum à nonnullis, qui illum viuum honore affecerant. Alterum verò in iis ipſis Bricomaldo & Cauanio, quos Rex ſpectare quum ſuſpenderentur voluit: quum quidem illi conſtanter grauiſſimam ſibi fieri iniuriam Deum immortalem cõteſtantes affirmarẽt: cuius vindictam illi tribuerent.

Eccl. Nunc libet verba Dauidis vſurpare, quibus de improbitate ſatellitum Saulis conqueritur, eorúmque iniqua & ſcelerata facta recenſet.

Qui tu a celſo de ſolio datis
Qui frena legum flectitis, en eris
De plebis vt cauſis egena
Iudicio ſtatuatis æquo?
Quin mente prana nequitiam & dolos
Verſant, ſub vmbra iuſtitiæ tegunt
Iniuriam: factis honeſti
Obiicium ſpeciem pudendis.
Materna ab aluo flagitii viam
Senſim ſequuntur, perque ſuos gradus
Obliqua ſectandi libido
Cum teneris adoleſcit annis.

Aleth. Magna quidem ſunt iudicia diuina: ſed hoc

obiter audeo confirmare, vt illa omittam quæ quotidie cum vniuersi homines faciunt, qui Dei iram aduersus se accendunt, tum maximè qui quum norint Domini voluntatem, non facunt tamen (hoc enim esset immensum) fieri non potuisse qui grauiter Deus commoueretur, quòd Hugonoti, tanquam omnem beneficiorũ Dei memoriam deposuissent (qui illos adhuc seruauerat, imò toties miraculis extra ordinẽ factis è summis periculis liberauerat) ita omnem suæ quietis spem in connubio Nauarreno fixerant & locauerant, perinde acsi Ecclesiæ seruator quispiam esset: atque adeo in ceremoniis non in re ipsa scrupuli nonnihil mouerunt.

Ecclesia. Vera prædicas. Et sanè hanc culpam admodum defleo. At interim tamen adeo fidelem fore sponsum meum confido, vt quam fidem dedit, eam omnino sit præstaturus: sibi enim perpetuo constabit.

Aleth. Hoc verò indubitatò statuendum est, & consolationis loco habendum, Deum esse omni sapientia, bonitate & potentia præditum, gloriæ propriæ curiosum, vt nihil quod suum sit, amittere velit: eúmque, quũ ipsamet sit veritas, ne apicem quidem verborum suorum prætermissurum, sed effecturum vt tum promissa in suos tum iudicia in hostes appareant: tempus porrò ipsum instare.

Eccl. Sed quamobrem & quod dignum ob crimen, tanto odio exarserũt in me, vt funditus deletam & perditam vellent? quid fuit illis causæ? Nam quod coniurationis initæ reos subdiderunt meos, ea verò causa adeò ridicula & ineptè conficta est, vt vel ab ipsis cæcis deprehendi possit.

Aleth. Non aliam fuisse causam puto, quam quæ olim Caino cæde Abelis, aut Herodi fuerit cæde infantium sese contaminanti. Denique, vt parerent præclaris illis legibus, quarũ tabulæ Amiralio ante nuptias oblatæ sunt: quibus vtinam credidissent, aut porrò etiam reliqua piorum multitudo fidem adhibeat, ne opprimatur inimicorum insidiis.

Polit.

Poli. Historiographus noster, opinor, nouit præcipua capita quibus quasi fundamẽta iecerit Regina mater, quæ filios in manibus, Galliam sub pedibus habet, odii illius implacabilis quo Hugonotos pessimè prosequitur.

Historiog. Quia nimis longum esset omnia commemorare quæ in hanc sententiam dici possunt, in aliud tẽpus reiiciam, quum fusius ista disputabo. Nunc hoc dicã, nihil esse quod illã Hugonotis tam infestã reddidit, quàm quòd eius literæ publicè recitatæ sunt in comitiis Præfordianis, quum illic adesset Ferdinandus Imperator vnà cũ filio hodie Imperatore, literæ, inquam, autographæ, quas propria manu scripserat, & chirographo subiecto confirmauerat: quibus Principem Condensem ad arma capienda perpulerat primo ciuili bello. Vnde liquidò constat ab illa incendium Galliæ ortum esse. Verùm vt maiorem æquitatis speciẽ suæ vindictæ conciliaret, sibi persuasit non ab aliis quàm Hugonotis euulgatam suã impudentiã, & magiæ crimine eorum opera malè audire: id quòd è mẽte nunquam esset depositura. Quinetiam ex eorum scriptis perspiciebat libenter eos ipsi negotiorum administratio nem erepturos esse. Suspicabatur item Amiraliũ nunquã obliuioni traditurum quoties illũ ludificata esset. Proinde hanc vnam esse rationem, qua caueret ne ab illo aut reliquis mali quicquam acciperet, si omnes è medio tolleret, quibus modis à nobis initio dictum est. In hac sententia cum multis de causis quas vel à se vel ab aliis habebat, confirmabatur, tum verò ea permouebatur quam à sua gente & familia tenebat, nimirum quem semel offenderis, vt eum capitali habeas odio, néve cum inimico redeas in gratiam, nisi vt eum perdas.

Exacerbauit ipsam quoque non leuiter lepida quædam tabula, in qua quatuor decim occulti Reginæ serui cum ipsa scitè ad viuum expressi erant. Nam cum Eques Battereſſius aliam tabulam, in qua depicta erant lineamenta eius domus, quam in Tegulariis superbè ædificat, forte quadam super lecto anterioris Reginæ cubi-

culi repositam animaduertisset, clanculum eam subtraxit & ipsius loco subiecit istam eodem serico inuolutam. Quæ postea multis inspectantibus explicata, magnum illi dolotem & ipsius famæ ingens detrimentum attulit.

Polit. Sed quæ causa fuit Batteressio, cur illam tam apertè ludificaretur?

Histor. Audio ita feciſſe, indignantem se tot Reginæ adulteris per fastidium postponi, neque in illo fœdissimo cœtu inter quatuordecim vnum sibi esse relictũ locum, quanquam insigni corpore & lasciuia meritum, quem Regina vltro acciret. Vtcunque sit supposita ista tabula vehementi ira atque odio incendit ipsius animum aduersus Hugonotos, à quibus structa sibi ista ludibria existimabat.

Hanc quoque asperauere carmina incertis auctoribus vulgata in sæuitiam, superbiamque eius & secretas libidines, quibus cum Fredegonda, Brunechilde & Iezabele componebatur, ipsa etiam Iezabele deterior expressa. Omnia enim hæc decora atque officia ab Hugonotis in se congeri semper suspicata est. Sed versus ipsos quãtum memoria constequi potero, recitabo.

Francorum regno leges dum stante vigerent,
Atque suus rectis artibus esset honos:
Prima peregrinum biberat tamen Aula furorem,
Et iam fœmineas suspiciebat opes:
Dum grauis huius erat Brunechildis arbitra Regni,
Captáque Landerico dum Fredegonda suo.
Quid fiet leges postquam cessere refixa,
Cunctáque fœmineis iura libidinibus?
Fœda choros inter quid Messalina procaces
Per luxum mœchis non dabit ista suis?
Quid non sublatis audebit Gondius alis,
Cui velut admisso Iezabel hinnit equo?
Gondius iste Pero est, hac Iezabel est Catharina
Præqua, Penelope Iezabel ipsa fuit.

Co

Collatio Iezabelis & Catharinæ, cum dissimili vitæ que exitu.

Quàm sibi sunt similes, & ad omnia pene gemellæ
Regina mater, Iezabelque vitæ?
Illa furens peperit clades & funera Gallis,
Hæc Israelis posteris ruinam:
Iezabel Astarten coluit, Catharina Papatum
Cruore placat nobili ruentem:
Sidonia gladiis sacri cecidere Prophetæ,
Insonsque falsis obrutus Nabothes:
Quas clades Hetrusca dedit, quot flumina rubras
In æquor altum detulere fluctus?
Vno dissimiles: merita nam morte peremptæ
Mox insepultos Iezabelis artus
Obscœni sparsere canes, fœdum Catharinæ
Canes vel ipsi respuent cadauer.

Hæc sunt opinor, quæ bonam istam Lamiam prope d insaniam redegere. At nisi sciret à Ronsardo versus stos quos modo Alethia recitabat, in se & filios esse onscriptos, an dubitas putaturam esse, se tam festinè rbano illo sale & Gallico aceto ab aliquo Hugonoto erfundi? tametsi Lupa ista cum suis catulis satis causæ et Papistis ad conquerendum & pœnas ipsius flagiandas.

Aleth. At nondum veram causam attigistis, ex qua furiosas illas cogitationes prorupit. Hoc enim etiam que etiam statuatis velim, qui semel euomunt, vt illa onum cæleste (nempe Dei in filio CHRISTO verio eius, notitiam) & sacram veritatem cognitam destinaimprobitate tamen oppugnant, eos nullum resipiscenæ donum obtinere, sed ita à Deo deseri, vt facilè in cani am rabiem prosiliant, qua agitati obuia quæque arriiunt & mordent.

Polit. Hinc coniicere facile est quo ingenio futuri sint ius liberi, quos quidem educarit. Ex quo mihi cogitate

quàm grauiter peccarint ii quorum partes erant iſtorum curam gerere mortuo Rege Henrico: quos quum retinere deberent, vt ad virtutem inſti tuerentur, eorum illi regimen reliquerunt, quæ eos exemplaria quædam perfidioſæ & execrandæ proditionis efficeret, denique inſtrumenta quibus illis primùm, deinde regno & diademati Gallico (à quo tantus illi honos eſt habitus) exitium compararetur.

Philalet. Horrendum eſt audire quos Tyrānus ſermones iactat, & quo pacto illū Deus indurauit: vt niſi Deus furioſos eius conatus reprimeret, cruor cæſorum ad mōtiū iuga redundaret, ſiquidē tāta copia effundere poſſet.

Aleth. Deus proculdubio ad iram eſt accenſus: ad quē placādum deiici nos animis magis quàm antea opus eſt. humanas cogitationes diuinis iudiciis cedere oportet, vt in eius clementiam & prouidentiam penitus recumbamus, ſummis eum & continuis precibus ſolicitemus, certò perſuaſi eum velle & poſſe ſuis in tempore auxilium ferre.

Eccl. DOMINE hunc tyrannum in facinoroſi cuiuſdam trade manus, à quo continenter crucietur: ad eius latus Satan adſit perpetuò. Effice vt tum ipſe tum ipſius conſiliarii, carnifices & ſatellites tales vbique terrarum cognoſcantur quales ſunt reuera. Decurta illorum dies: & in eorum locum ſubſtitue alios qui tibi ſint cordi. Liberi eorum ſint orphani, vxores viduæ, palantes & errantes: domibus eiiciantur, emendicato pane victitent, ita tamen vt nemo illorum miſereatur. Omnes fortunas rapiat ſenerator, & opibus extranei potiantur. E medio tollatur eorum poſteritas, huius, inquam, tyranni nomen è memoria deleatur. Patrum ſcelera ſint perpetuo coram te, ne matris illius peccata remittas. Tantum enim abeſt vt egenos rebus afflictis leuare cogitarint, vt contrà toto animo miſeròs, qui in extremas calamitates & acerbitates ceciderant, cruciarint, vt ad mortem, imò poſt mortem, ſibi perſequendos eſſe putauerint.

Sen

Semper eis veluti fuerat maledictio cordi,
Infausta in illos execratio cadat.
Ac veluti studio fugiunt benedicere prauo,
Sic nullus illis cupiat aut dicat bene.

Denique vt veste sic infortuno vndique contegantur. Sed mihi ô Deus & Rex sis auxilio, pro tua pietate serua me. Me enim & mea omnia tuæ mando & committo fidei, sola tua bonitate freta, & expectans dum pœnas de improbis & impiis sumis. Perfice Deus & absolue opus tuum. Profer in apertum tuorum integritatẽ, vt illorum innocentia & æquitas splendeat & conspicua sit quemadmodum es pollicitus. Sin autem (vt & fieri potest, tibiq; id soli notum est) in istorum grege nonnulli sunt ex tuis admixti, (quemadmodum selectum illud organum tuum Paulum videmus aliquando ante conuersionem tuis bellum inferentem) accelera hos dies domine, matura tempus vocationis, ne forte eadem vindicta inuoluantur, & inter improbos illos Susannæ vetulos pereant. Excita Danielem tuum DOMINE, cuius opera absoluatur tua ancilla. Exaudi nos ô Pater, per IESVM CHRISTVM Filium tuum DOMINVM nostrum.

Aleth. *Iustique pœnæ vindicis exitum*
Læti videbunt, impiique
Sub pedibus fluuium cruoris.
Psal. 58. *Vitæ bene actæ gens hominum sciet*
Manere iustos præmia. at impios
Manere pœnas, arbitrumque
Esse Deum sciet orbis æquum.

DANIEL. Insons ego sum & careo culpa effusi huius sanguinis. Atque vt de tali perfidia, sæuitia & tam peruerso iudicio sententiam meam edam. Veterum illorum Lutheranorum qui in Gallia erant, fidei confessione pridem inspecta (quæ etiam mortalium omnium oculis exposita fuit) qui omnes cruciatus & acerbitates perferre maluerunt, quàm vlla in re abiicere notitiam quam à Spiritu sancto habebant de Deo Patre in DOMI-

NO IESV CHRISTO, in qua ſummum hominis bonum poſitum eſſe, ſalutem ſcilicet æternam, agnoſcunt, vt abſque ea hominis quàm pecudis conditionem miſeriorem eſſe ſtatuant: poſtquam animaduertimus neminem poſſe illis hanc ſpem extorquere, nulla eos anguſtia, perſecutione, fame, nuditate, inopia, ferro aut flammis ſeparari poſſe ab amore CHRISTI (etiamſi hæc tantùm de cauſa quotidie mactarentur, haberentur eodem loco aut peiore etiam quàm oues quæ iamiam iugulandæ ſeruantur) lento igni ſublimes torreri, abſciſſa lingua, ne Deũ coram populo verbis collaudarent, indigniſſimis denique modis eorum oppugnari fortunas, exiſtimationẽ & vitam, tanquam omnium maximè deteſtandi hæretici eſſent, reos fieri maieſtatis diuinæ & humanæ: quod planius perſpici poteſt tum ex ſcriptis & edictis in hanc rem factis, quæ ad hunc diem in actis publicis ſupremorum ſenatuum & aliorum magiſtratuum Galliæ, tum ex confeſſionibus fidei quas à multis illorum editas fuiſſe Hiſtoriæ Martyrum teſtãtur: Præterea loco vnius qui flammis abſumebatur, magnam virorum, mulierũ & puerorum multitudinem exoriri, quorum eadem fides & ſpes erat: vt cineres corporum & ſanguis effuſus ſeminarium quoddam eſſet Eccleſiæ: quum nihilominus tamen aduerſarii illos comburere pergerẽt, vt in ipſam veteris & noui Teſtamenti ſacram ſcripturam ſæuirent, cuius libros in linguam vulgo notam conuerſos cremabãt, putãtes ſe hac ratione arma illis extorquere, clypeũ fidei & galeam ſalutis eripere, omnes denique veritatis notitia priuare.

Poſtquam item perlegimus fidei illorum confeſſionem quam Princeps Condenſis, miſericordia motus, quum illos videret iniuriis & contumeliis affici, Regi Frãciſco ſecundo exhibere voluit Ambaſiæ, vt à viris doctis ad ſacram Scripturam examinaretur, & immodica illa comburendi ſæuitia compeſceretur: eam itidem confeſſionem ab Hugonotis exhibitam Regi Carolo IX. in collo-

colloquio Poſſiaceno, quam etiam Miniſtri ſancti Euangelii publicè defenderunt aduerſus Cardinales, Epiſcopos & Doctores Pontificios, ídque coram ipſo Carolo Rege, matre, fratribus, Principibus, aliíſque qui Poſſiaceno cõcilio intererant: quæ typis eſt euulgata in multas linguas conuerſa, quæ etiam omnium manibus teritur, vt qui volunt, videre poſſint num ad verbum Dei quod vetere & nouo Teſtamento continetur, prorſus quadret: edictum etiam ſtatim poſt illud colloquium factum, menſe Ianuario 1561. autoritate Caroli, conſenſu matris, Principum & eorum qui illi aderant, approbatũ deinde à multis é Præſidibus & conſiliariis totius Galliæ: quo incendia & omnis generis ſupplicia remittebantur, libertas cõſciẽtiæ cõcedebatur, cõciones habere in ſuburbiis oppidorum totius Galliæ, in quibus verbum Dei doceretur & ſacramenta conferrentur à Miniſtris qui ad hanc rem vocati, deſignati & renuntiati eſſent: vt codicillis regiis hac de re factis conſtat.

Stragem etiam Vaſſiacenam violato edicto factam, ad cuius præſcriptum Hugonoti quietè ſe gerebant: Preces armatas Ducis Guiſii, Coneſtabilis & Mareſchalli Sãtandræi, quibus à Rege petebant vt excinderẽtur quot quot iſtam Religionem profitebantur: literas tunc temporis à Regina ad Principem Condenſem ſcriptas, quibus hominem rogabat arma ſumeret, & à quamplurimis ſumenda curaret, vt Triumuiratus conſilio & conatui obſiſteret, matrémque & liberos captiuos liberaret: Auxiliares copias à Regina Angliæ & Principibus Germaniæ tum Hugonotis miſſas, deniq; quicquid conſequutũ eſt ad menſem Martium 1562. Edictum etiam pacificatorium tunc factum, quo confirmabatur illud primùm quod Ianuarii appellabatur: quo inſuper concedebatur vt in nonnullis oppidis Religio exerceretur. Gloſſemata item quibus Rex Edictũ illud reſtrictius in dies faciebat, (quum Declarationes appellaret) vt tandem illud violarit: dolos & conſilia matris, Lotaringorum cum ſuis pe-

totum quinquennium: Hugonotorum in obediendo fidem: institutionem qua mater liberos interim educabat: Congressum & colloquium Matris cum filia Hispaniæ Regina & Duce Albano Bayonæ habitum, consilia & pollicita mutua: copias Heluetiorum conscriptas iussu Regis 1567. Querelas & expostulationes Hugonotorũ contemptim à Rege auditas, quum multis in locis se cædi & iniuriis affici docerent: bellum palam ad illorum internecionem comparatum, auxilium Germanicũ Duce Ioanne Casimiro, res illo bello gestas, edictum ad pacem conciliandam mense Martio, 1568. eiusdem pacis perfidiosam violationem, fraude Caroli cum suis, fugam Principis Condensis, plurimorúmque Hugonotorum cum suis familiis, qui per insidias propemodum oppressi fuerant ab iis qui pacem & fidem publicam violarant: exercitum quem Dux Bipontinus, ob commune Religionis vinculum subsidio Hugonotis adduxit: prælia toto illo bello commissa, maximè pugnam Iarnacæam, in qua Princeps Condensis deditione facta refrigerato pugnæ ardore iussu Ducis Andegauensis interfectus est: exercitus regimen Amiralio commendatum ab Hugonotis, post Principis cædem, auspiciis Principum Nauarreni & Condensis; edictum denique à Carolo & consilio, maximis cæremoniis factum die 22. August. anno 1570. pollicita cum sanctissimi iurisiurandi religione facta à Carolo, Nobilibus consilii, omnibus Curiis, prætoribus & magistratibus qui ad ius per totam Galliam dicendũ constituti sunt, hoc edictum accuratè in perpetuum seruatum iri: vim & iniuriam tota fere Gallia Hugonotis illatam per illud biennium, simulationem fraudulentam qua Carolus velle se de seditiosis pacem turbantibus sumere pœnas fingebat: technas tũ ipsius tum matris quibus in aulam pellexerunt Reginam Nauarræ, cum filio, consanguineis, Amiralio & cæteris primariis & Nobilibus Hugonotis: nuptias Regis Nauarræ cũ Margareta sorore Caroli, vulnus illatum Amiralio postremo

remo die biennii exacti post pacem factã: parricidium
sius Amiralii, deinde multorum nobilium, aliorum de
um virorum, mulierum, puerorum Hugonotorũ, qui
er summum scelus trucidati sunt die Dominico 24.
uguſt. Lutetiæ, & aliis deinceps diebus: cædes item, la-
ocinia & direptiones per multa Galliæ oppida & loca
ommissas, quæ etiamnum committuntur, in salute tum
nimi tum corporis, fortunis & existimatione Hugono-
orum: copias & vires quas Carolus cogit, vt eorum no-
en & memoriam radicitus ex humano genere euellat:
dicium denique à Carolo & Curia Parisiensi aduer-
s Amiralium, Bricomaldum & Cauaniũ, & quicquid
itu dignum est.

Hæc omnia inquam, postquam perlegimus & expen-
imus, postquam item multa sigillatim ab Historiogra-
ho & Politico multisque aliis testibus fide dignis audi-
imus: Ecclesiæ denique querelas, orationes & preces at
ndimus, quam antea semper orasse pro hostium ipso-
m conuersione, próque statu illorum incolumitate &
lute cognouimus: omnibus, inquam, diligenter consi-
eratis, dicimus Lutheranos siue Hugonotos Gallos ne-
ue antea asseruisse, neque hodie asserere vllum falsum
ogma in negotio Religionis, sed puram illam, veram &
ctam doctrinam Christianam ab illis doceri, quam
ta Ecclesia Catholica (cuius caput est IESVS CHRI
TVS) docuit & confessa est, docet & confitetur, cum
nnibus sanctis martyribus qui tanquam sigillo sangui-
illam effuso comprobarunt; eandem, inquam, doctri-
m quam Ecclesiæ per Germaniam, Angliam, Scotiã,
etiam, Daniam, Noruegiam & Heluetiam sparsæ, om
s denique filii & electi Dei amplectuntur & confiten-
r, iisdem signis & sacramentis adhibitis: vt omnibus æ-
is iudicibus, qui rem ex veritate æstimare volent aper
constabit. Hanc porrò doctrinam haustam esse ex li-
is veteris & noui Testamenti, quos Dei hostes conati
nt & conantur etiamnum (sed frustra) opprimere & ex-

tinguere: propterea quòd æterno Dei consilio statutum est cælos & terram præteritura esse, verbum autem Dei in perpetuum mansurum esse, quibuscunque tandem conatibus hostes Dei hanc veritatem oppugnare nitantur, quam qui profitentur quo magis premuntur, eo magis crescent, instar Israëlis apud Aegyptum. Cõtrà verò omnis planta quam Pater cælestis non plantauerit, falsa omnis doctrina, & qui eam tuentur & defendunt, è terra eradicentur. Quare omnes Dei filios monitos volo, vt in eadem fide & spe ad extremum vsque spiritum permaneant, adiuncta illis comite charitate, sine qua fides ipsa obscura est & mortua. Interea minimè dubitent, quin Pater cælestis, quicquid ærumnarũ illis hac in vita accidet, largiturus sit in altera ea quæ nec oculis humanis cõspici, nec auribus audiri nec mente intelligi queant, quæ ille iam inde ab orbe condito sui dilectoribus & metuentibus parauit: quum scelerati contrà, perfidi & proditores carceri æterno mancipabuntur, vbi tenebræ, dẽtium stridor & (vno verbo) æterni cruciatus erunt, vbi dictum fuit. Annon ii sunt quorum vita nobis ignominiosa videbatur & vitæ exitus infœlix? O nos amentes! Qui nam fit vt in tanta gloria collocati sint? Quinam obtigit illis sors inter sanctos?

De iudiciis & arestis Caroli & curiæ Parisiensis, quæ in Amiralium, Bricomaldum & Cauanium facta sunt, nos ea dicimus & affirmamus per summam iniquitatem, scelus & perfidiam facta esse, calumniis inaudita vanitate & impudentia confictis: quales solent prætexi ab iis qui, suam crudelitatem explere volunt. Cuius rei vnum exemplum abunde testimonio esse potest, mors nempe turpis & acerba, qua Sacerdotes legis, Scribæ & Pharisæi, imò maximus ille Sacerdos & populus Hierosolymitanus DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM vitæ autorem affecerunt, eum in crucem medio inter duos latrones loco tollentes, quum illi obiecissent seditionum, rerum nouarum & regni affectati crimen: ta-

netsi incredibili esset lenitate & clementia, & in Iudæo-
um gentem innumera conferret beneficia (multis co-
m miraculis editis) quippe qui eius rei tantùm causa
eniſſet, vt eos ad sanitatem reduceret. Iam discipuli cō-
itio non est potior quàm magistri: si ei fuerunt infesti,
obis quoque erunt. Cæterùm quòd attinet ad cædes à
4. Augusti. & deinceps in Amiralium & reliquos fideles
rpetratas, affirmauimus & affirmamus eam esse maxi-
è horrēdam & detestandā coniurationē, proditionem
erfidiosissimè susceptam, & ab omni generosæ mentis
genio alienam, carnificinam maximē omnium barba-
m quæ vel inter nationes efferatissimas fando vnquam
dita est, iam inde ab eo quū Cainus fratrem Abelem
stum crudelissimè interfecit, ad hāc vsque ætatem. Ad
ius immanitatē exprimendam quum nomen nō extet
oneum quo Carolum, matrem, fratrem, consiliarios,
arios reliquósque satellites & administros tantæ cru-
elitatis appellemus, dum occurret nomen (nam vten-
um esset alioqui vel grauioribus verbis quàm natura
rt, vel leuioribus quàm causa postulat) nunc dicimus
os obscurasse famam & nomen tyrannorum & prodi-
rum qui vnquam perfidiosissimi & sæuissimi fuerunt
ósque quum tales sint, & eorum posteros eiecimus & e-
cimus in perpetuum ex communi hominum congres-
. Statuimus vt deinceps vicesimoquarto cuiusque men
s die fiat celebris memoria (ad nefandum illorum fa-
um detestandum) execrandæ cædis factæ die 24. Aug.
aliis postea diebus in Ecclesias Gallicanas, vera Eccle
æ Catholicæ membra, quam tyranni isti falsò iactant,
uum eius nec notam vllam aut vestigium teneant, imò
m habeant vnam religionem blasphemiam in ore, &
heismum in animo insitum. Dies ipse 24. Augusti. in
rpetuum dies ater & proditionis nuncupator. Carolus
rrò, quemadmodū ex ipsius maioribus nonnulli variè
nominati sunt, vt vnus mitis, alter pater populi dictus
, Carolus Proditor appellator, cuius nominis Gallici

anagrammatiſmus pro ſtemmate proprio eſto, qui ſe
ſum talem habet, Venator aut Expulſor perfidus.

Quod attinet autem ad ipſius Eccleſiæ preces, qua
Caroli cauſa, curiæ Pariſienſis & aliorũ tyrannidis mag
cipiorum fecit, certò affirmamus eas & alias omnes exa
ditum iri propter ipſius caput filium Dei, qui non m
nus vindicaturus eſt hãc iniuriam quàm ſi in ſe ipſum a
cepiſſet, qui ſemel teſtatus eſt, Qui vos tangit, tangit pu
pillam oculi mei. Quare expectet patienter Eccleſia cum
ſuis membris exitum DOMINI, memor quemadm
dum Hieroſolyma poſt cæſum DOMINVM noſtr
IESVM CHRISTVM, quum ſe euaſiſſe arbitraretur
(quòd tardius accideret vindicta) ſe ſolo æquari experi
eſt, ſuámque gentem excindi conſpexit poſt quadragint
annos à Romanorum ipſorum exercitu, quorum tamet
fauorem interficiendo CHRISTO demereri ſtuduera
Recordetur priſcum etiam mundum contemptorem d
profanum, ſpretis totos centum annos & eo amplius bo
ni Patriarchæ Noæ monitis, ſubmerſum eſſe, quum ni
hil minus ſuſpicaretur: quum Dei Eccleſia (quæ tum in
octo animabus poſita erat) in mediis fluctibus ſeruat
eſt. Achabum & Iezabelem vxorem, poſtquam aliquot
annos Eccleſiæ infeſti regnaſſent, euerſos cum tota pro
le fuiſſe ab eo quem Deus ad hoc excitauit. Succurrat
infinita huiuſmodi exempla, quibus perſpicuè conſta
DOMINVM ſumpto de filiis ſupplicio virgas in igne
coniicere. Et quoniam fœdus illud quod Papa cum fu
Catholicis iniit, ſpectat prorſus ad exitium eorum om
nium qui iugum Eccleſiæ Romanæ excuſſerunt (quod a
omnibus perſpici poteſt qui iudicio integro valent) fir
rum eſt Eccleſiam Dei eſſe cuius membra ſunt maxim
pars Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Suetiæ, Norue
giæ, Poloniæ, Heluetiæ, & in vniuerſum quicunque pe
totum orbem terræ verè Euangelium profitentur: ſi ve
rum eſt, inquam, eos omnes fratres eſſe eodem ſpiritu, e
iuſdem inter ſe corporis membra, pro DOMINI vo
luntat

ntate, qui eandem omnibus vitam impertitur, omnes iuſdem Domini ſeruos, eiuſdem Regis & Imperatoris milites, qui in communicanda ſalute æterna nullum gen is aut nationis diſcrimen fecit: omnes ſimul DOMINI lomum eſſe, extructam in fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, in templum ſanctum, cuius lapis angula- is eſt IESVS CHRISTVS: denique ſi verum eſt bra- hia, manus, aures & pedes corporis ſubſeruire debere apiti, & ipſa mutuum auxilium ferre: Videant Principes entium quas ſuprà recenſuimus, quemadmodum dēt o- eram, cum vt diſſidia quæ inter ſe habent, componant, um verò vt primo quoque tempore, nulla cunctatione nterpoſita, vtri alios priores accedant (hoc enim à ſpiri- u Dei alienum eſt) firmiſſimum fœdus & ſyncretiſmum uendā inter ſe & quos ſuæ ditionis habent, ad mutuum ubſidium ineant, quo Antichriſti & mancipiorum illius onatibus obſiſtant: iniurias fratribus religionis ergô il- atas ad ſe pertinere apertius quàm antea, quicquid tan- dem prætextus allatum ſit, oſtendant. Animaduertant e neque aliis à Deo præpoſitos eſſe, neque in Eccleſiam ſcitos commodi proprii aut quietis cauſa, verùm vt ad llius gloriam & fratrum ſalutem (non eos ſecundum car nem dico) promouendam operam ſuam nauent. Ne du- itent quin Deus fœdus huiuſmodi confirmet, ſtabiliat & fortunet, vt hoc Dei fauore freti alacriter vires om- es & conſilia conferant ad defendendos Euangelii pro- eſſores aduerſus Satanæ & totius ſatellitii rabiem, ne- que cunctentur aut tempus trahi patiantur, ſed potius conſiderent quàm acerbis miſeriis & calamitatibus con ficiantur qui nunc Antichriſti tyrannide premuntur. Sin autem ſunt quos ita dementauit mundus ſuo faſcino, vt d hoc fœdus animum nolint appellere, iis ego nomine Dei edico nō poſſe illos ſuis ludificationibus (quæ mun dum & carnem reſipiunt) horrendi iudicii Dei aſperri- mum ſenſum effugere: cui nihil commune eſt cum carne & ſanguine, nec vult qui manum aratro admouerunt, eos

ad posteriora respicere. Minus etiam sua calliditate atq; astutia, qua se valere putãt in rebus gerendis, vitare possunt quin illis cxedendum sit quod intriuit factio aduersaria: cuius neque consilium & mentem ignorant, neque odium quo in Euangelium flagrat. Denique non efficient quin standum ubi aliquando sit ad tribunal magni Iudicis, apud quem Machiauelli aut discipulorum illius similium axiomatibus nihil loci est futurũ. Quòd si qui restitent, cæteri nihilominus ad hoc fœdus se adiungant denique si omnino imiri non poterit, saltem quibus Deus reliquum fecit bonum animum & zelum, conentur quantum facultates ferẽt, testatam relinquere suam pietatem. Sic enim sibi persuadeant, non posse illam tarditatem committi in ferendo auxilio, quod sibi ferri quamprimum optarent, si eo loco essent, quin ecclesiasticis ædificiis iunctutam diuellant, symmetriam eximii illius & pretiosi corporis labefactent, deniq; turpissimæ ignauiæ grauissimo scelere se obstringant. Sin autem quos neq; præceptum quod de iuuandis præcipuè domesticis fidei, neque exempla veterum aut eorum qui annis superioribus fideles Gallos iuuerunt (quum non tanta vrgeret necessitas) mouent, ii saltem reminiscantur quid Scripturæ frigidis & tepidis comminentur. Qui occluserit aurem ad vocem pauperis, inquit Scriptura, is quum premetur, clamabit, neque exaudietur. Facessite hinc (dicturus est rex magnus postremo die) Deo patri exosi, in ignem æternum vobis paratum. Victu & vestitu necessario opus mihi fuit, vos verò me non subleuastis. Scire etiam eos velim, præter interitum opum & fortunarũ qui imminet, Dominum omnem fratrum effusum sanguinem ipsis inspectantibus, neque quum possent, auxilium ferentibus, repetiturum esse.

¶ Fidelibus autem Gallis superstitibus hoc decreto & iudicio leges politicas stabiliimus & stabilimus quæ sequuntur.

1. Primùm quemadmodum Niniuitæ ad vocem Ionæ Prophe-

Prophetæ, sic isti ad vocē Dei irati, qui per seruos suos, minas & flagella hodie loquitur, publicè indicunto & obseruāto absque vlla hypocrisi in singulis oppidis ad quæ se receperunt, sanctum & Christianum ieiunium, quot diebus Ecclesiæ videbitur, quo dometur, subigatur & deiiciatur caro, animus autem ad Deum attollatur.

II. Seriis precibus publicis, vnà cum vera vitæ emendatione à minimo ad maximum de integro (vt Iosiæ tempore factum est) cum summo patrefamilias irato ob illorum peccata pacem & fœdus renouāto: deinde cum vera fidei & charitatis coniunctione mortem DOMINI nuntianto, memoriam illius obeunda & agenda sacrosancta Cœna celebranto.

III. In singulis oppidis loco publico collecti suo & posteritatis nomine sanctè se leges quæ sequuntur seruaturos iuranto.

IIII. Hoc iusiurandi sacramento edito, in illis ciuitatibus comitiis & suffragiis publicis magistratum seu Maiorem creanto, qui ad eorum salutem negotiis belli & pacis præsit: vt omnia rectè atque ordine administrentur. Idque tantisper faciunto, dum Deus qui in manu habet Regum corda, vel Tyranni animum immutet, & Gallicum regnum in veterem dignitatem & libertatem vindicet, aut vicinum quendam Principem excitet, qui ex virtute propria & notis diuinitus inditis agnoscatur populi perditi liberator.

V. Singulis Maioribus 24. viros adiungunto, qui illis adsint in consilio. Quosquidem simul cum ipsis Maioribus deligunto nulla conditionis habita ratione, ex patriis, siue ex populo, siue ex vrbe, siue ex municipiis, modò iudicentur apti ad bonum publicum promouendum.

VI. Præter hos 24 consiliarios, qui pro more cum Maiore erunt (is autem vicesimumquintum locum explebit) deligūtor 75. vt totus ille numerus sit centum hominum. Hi verò etiam nullo discrimine habito tum ex ciuibus

tum municipibus sumuntur. Ad eos prouocare poterit litigantes in iudiciis duntaxat capitalibus, nempe vbi vel mortis, vel exilii vel mutilationis membrorum condemnatio inciderit.

VII. Absque consilio 24. Maiori nefas esto quicquam statuere, quod in deliberationem cadere possit, de bellicis aut politicis rebus. Quæ autem maioris momenti sunt, in iis 25 soli nihil, sed ipsi 100. statuunto: verbi gratia in promulgandis vel antiquandis legibus, re nummaria curanda, exigenda pecunia, paciscendis induciis vel pace, aut aliis quæ directo publicam salutem respiciunt.

VIII. Quæ à præfectis & consilio decreta fuerint, e diligenter, alacriter (vt coram Deo) & sine mora executioni mandatori: si quis recusarit, exemplum in eum editor.

IX. Quotannis Cal. Ianua. 25. magistratum deponunto in cœtu centum virorum, vt priuati deinceps habeantur, nisi quòd è numero 100. teneantur. Deinde omnium suffragiis alii deliguntor, nempe Maior & 25. ordine supra demonstrato. Ex hoc verò delectu excludi nō placet eos qui magistratu abierint, siquidem suffragatio illis fauerit: excepto tamen Maiore, qui eundem magistratum inire non poterit, nisi biennio ad minimum interlapso, sed eo anno manebit in numero 24. consiliariorum (vt duntaxat 25. sint deligendi) deinde nouus Maior vicesimum quintum locum explebit. Quòd siquis illorum intra annum decesserit, centumuiri coeunto, qui huic rei prospiciant vt Reipub. interesse iudicabunt.

X. Isti 25. postridie quàm creati fuerint, magistratu se abdicanto, & totidem alios in eorum locum sufficiunto. Vnde excludētur duntaxat qui anno superiore proximo magistratum hunc gesserint. Hunc ordinem quandiu videbitur, seruanto.

XI. Quòd siquis ex centumuiris ad belli aut reip. negotia curanda vocatus sit, ex cœtu abito: nisi forte tanquam legatus missus sit, qui vel de pace, bello vel aliis publicis negotiis cum Principibus aut populis agat.

XII.

XII. Qui rationibus referendis obnoxii sunt, nullius rei omnino curã suscipiunto, nisi prius dispunctis & consolidatis rationibus, & reliquis, siqua sint, persolutis. Quod siquis talibus suffragatus fuerit in comitiis, is viginti coronatis mulctator, quam summam statim numerato, aut carceri mandator.

XIII. Ordinarii magistratus qui iuri dicẽdo præsunt, si probos esse constat, in statu primo manẽto, illum pro more curanto, & causas summa autoritate decidunto adhibitis duodecim integræ existimationis. Sin minus tales esse constiterit, qui munus absque ludificationibus & remoris forensibus administrauerint, Maior & cõsiliarii in singulis oppidis illis abdicatis alios idoneos constituito. Hi verò ad rationem administrationis reddendã adiguntor, & pœnis luẽdis, si res postulabit, obnoxii sunto.

XIIII. Ex istis singularum vrbium præfectis & consiliariis vnum aliquẽ deligunto, qui summã imperii, instar Dictatoris Romani, teneat, cui omnes omniũ ciuitatum dicto sint audientes in iis quæ ipsius muneris erunt; id enim ad vniuersorum salutem aptissimum est.

XV. Cuius eligendi ratio facillima esset, si Maiores & Consiliarii omnium ciuitatum simul congregari possent eo loco qui vniuersis commodus esset: quo modo Iones, Dores, Bœoti, Achæi, Dolopes aliique populi 12. florentissimarum Græciæ vrbiũ olim factitabãt, qui bis quotannis ad Reip. negotia curãda cõueniebant: aut quo modo cõstitutum erat Amphictyonum conciliũ ætate Pausaniæ. Verùm quoniam hoc in præsentia difficilius est, poterunt in singulis vrbibus Maiores & Cõsiliarii conuentu apud se indicto deligere certũ quendam ad summam imperii, suúmque suffragium mittere ad eius vrbis Maiorem quæ visa fuerit aptissima ad suffragia colligenda: vt in ea suffragiis vndecunque missis cum internis deligatur is cui plures suffragationes, Deo dirigente, imperium adiudicarint.

XVI. Quanquam autem belli rationes non semper

expectãt dum consilium capiatur, imò (vt vetus verbum est) bellum oculo geritur, id est ad rerum euenta temperatur: tamen adhibentor Imperatori aliquot consiliarii, qua ratione suprà demonstratum est. His negotia cõmunicato, & ex eorum consilio omnia gerito, quoties negotiorum ratio ferre poterit.

XVII. Eadem ratione deliguntor quinque aut sex legati, qui Imperatori attribuantur, cui per vices ad idem munus succedant, quo ordine recensiti fuerint, vbi quis vel decesserit vel magistratum deposuerit: idque nimirum nequa perturbatio, confusio aut clades accidat, dum hostes aliquid proditorie molirentur aduersus Imperatorem, vt illius morte reliqui duce priuati remaneant.

XVIII. Deliguntor tum Imperatores tũ legati, quoad eius fieri poterit, viri Dei timentes, cuius honos, decus & Ecclesiæ salus sit antiquissima: quique non solum prudentia, sed etiam dotibus & virtutibus illis quatuor præditi sint quæ in Imperatore esse debent, rei militaris scientia, animi magnitudine, fama & existimatione, postremò fœlicitate in rebus suscipiendis.

XIX. Consiliarii Maiorum qui vrbibus præsunt præter bellicam peritiam tales sunto, quales Iethro socer Mosis suadebat habendos esse, homines fortes, pii, & auaritiæ inimici.

XX. Dictum illud sapientis obseruanto, stulti consilii repentinam esse comitem pœnitentiam, & in magna parte belli administrandi non esse secundo errori locum. Quamobrem in huiusmodi errores ne incidant cauẽto, & vbicunque consilio prouideri potest aut remediũ adferri, diligenter curanto.

XXI. Singularum vrbium Maiores & Consiliarii arario publico (etiãsi in hoc Religionis & necessitatis communis negotio neruus belli non debeat appellari) homines singularis fidei & ab omni fallacia alienos præficiunto, qui accepti & impensi rationes conficiant, itẽ alios

Antigri

Antigraphos, siue Obseruatores. Præter omnes autem illos, loco qui commodissimus visus fuerit, Quæstorem & Obseruatorem generalem constituunto, & alios ærario præfectis. Hi omnes, vt omni fraudũ & peculatus generi obuiam eatur, apud consilium rationes referunto.

XXII. Vt calumniis & obtrectationibus occurratur, quæ ferè in duces & clarissimos Reip. viros iaciuntur, idque vel hostium calliditate, vel inuidia, ambitione vel aliis pestibus quas tũ Diabolus conatur in Ecclesiã introducere, tum ex leui suspicione animos militũ aut populi subeunt: vt itaq; rerum perturbatio quæ inde oriri posset, tollatur: cuius ex omnibus vrbibus fas esto apud Maiorem & Consiliarios accusare quoscunq; norint meditari, machinari aut agere quicquam in cõmunem perniciem; siue ex nobilitate siue ex præfectis aut alio numero sint. Quòd si huiusmodi suspicio vel in Maiorem vel in Consilium aut aliquot ex Consilio cadat, delator postulato centumuirorum senatum haberi: id à Maiore & Consilio ne denegator. Ibi delator crimen in iudicium afferto, vt modo & ratione omnia fiant. Neque verò idcirco reos oportet existimare se à delatore iniuriã vllam accepisse (qui nonnisi optima voluntate adductus ad accusandum descendere debet) potius voluptatem ex eo capiant, quod sociis & toti senatui suam causam probarint.

XXIII. Qui in noxa fuerint, ii ex formula iudicii debitas pœnas luunto, vt nulla habeatur ratio in his aut aliis criminibus ὀfficiorum quæ fontes vel sua vel suorum cõmemorare possint: vt scilicet virtus (cui merces inter homines debetur) iustam remunerationem accipiat, & ne supplicio quo culpa digna est, eximatur: quod gloriæ diuinæ & communis salutis damno fiat. Bonis præmia, malis supplicia decerni perpetuum esto. Falso delatori pœna more & instituto regionis irrogator.

XXIIII. Dictator postquã expeditionẽ susceptã absoluerit & exercitum dimiserit, magistratu abito, & in ma-

nus Cõsiliorum tradito. Postea priuatam vitam ducito, aut inferius munus seu prouinciam ne fastidito. Idem etiam minores magistratus faciunto.

XXV. Ab ipso summo magistratu ad infimos quoisq; accuratè obseruator disciplina Ecclesiastica, qualis constituta est superioribus annis in Gallicanis Ecclesiis ante postremam illam dissipationem. Sic enim apertè perspicietur regnum Dei & verbi sceptrum stabilitum atq; confirmatum, Satanæ verò regnum cum vitiorum colluuie, quibus mundus & caro delectãtur, è medio fidelium eiectum & exterminatũ: sicut filios lucis decet. Hoc dum facient, ne dubitent se domi & foris fortunatos fore, absque vllo terrore sedes tutas & quietas habituros, stragem suis regionibus infestam nòn fore. Quini ex illis centenos hostes in fugam agent, & centeni decies millenos. Dominus suum cum illis fœdus confirmabit, omniq; rerum necessariarũ copia circumfluere illos summa cum pace faciet. Sin autem Dei viui leges & decreta contemnent, si vitiosis & perditis moribus locum inter se dabũt, pauor, trepidatio, morbi & alii languores, tum generis omnis diritates illos insequentur. DOMINVS infesto illos vultu perterrefaciet: in hostium potestatem venient, vbi miserè intereant, nemine insequente trepidi fugient. Quod si ne tum quidem ad sanitatem redibunt, septuplicatas plagas DOMINVS illis importabit. Has enim minas suo Israëli (in cuius locũ istos successisse non est dubium) olim iactauit.

XXVI. Vt autem tam sanctum opus, tam pium & necessarium frenum, (quum nempe agitur disciplinæ Ecclesiasticæ constitutio & obseruatio) executioni mandetur, in oppidis Magistratus operam nauanto vt consistoria habeantur: in castris Dictator cum suo consilio aut alii Duces, dum probi & integri homines erunt in exercitu.

XXVII. Disciplinam quoque militarẽ inter duces, centuriones & reliquos milites, quoad eius fieri poterit, diligentiã

ligentissimè constituunto & obseruanto. Cuius tamen multa capita prolixè commemorare nihil est necesse: quòd superuacaneum sit, si ductores erunt in officio: sin minus, etiam noxium & perniciosum. Satis fuerit si tota militaris disciplina valeat (sub lege diuina) ad docendos & adducendos milites vt Lacedæmoniorum exemplum imitentur, quod quidem in tribus positum erat: vt præfectis dicto essent audientes, vt alacriter bellicos labores ferrent, denique vt vel vincerent vel in prælio occumberent.

XXVIII. Judæ Machabæi dictum (quo suos animo constermatos alloquebatur) illorum memoria nunquam excidito, Victoriam in multitudine & numero militum non esse positam, sed è cælo robur & vires præstari. Itaque continenter implorato diuino auxilio, in iis quæ suscipient boni ipsius Machabæi exemplum imitantor, quũ aduersus Nicanorem & alios Dei hostes pugnaret. Neque ex animo vnquam deleatur præclarum Gedeonis facinus aduersus Madianitas, qui trecentos secum duntaxat habuit. Etenim non secus atque ætate Machabæi, hodie impii oppugnant miserum hunc populum insidiis, perfidia & dolo circunuentum, eo consilio vt cultum Dei euertant, viróque, mulieres & impuberes interficiant. Pii contrà, pro gloria Dei, Ecclesiæ salute, suáque ipsorũ vita tuenda dimicant.

XXIX. Duces diligentissimè operam danto, vt miles in re bellica exerceatur, quo pacto cum hoste congrediendum sit, velitandum, oppugnandum oppidum aut munitio, impetus sustinendus. Imperator totum exercitum doceto, vt acies oculi nictu (si opus sit) variis modis instruatur, vt seruentur ordines, dispersi colligantur, pro loco, numero, ratione aciei hostium, aut pro quauis alia necessitate quæ occurrit.

XXX. Duces maximè autem Imperator sæpe vel apud totum exercitum vel singulas cohortes verba faciunto, vt animum addant, contineant, laudent, arguant milites,

aut pro facultate quæ dabitur, alloquantur.

XXXI. Pudeat Christianos milites inter se contentiones, rixas & ambitum extare: quod nunquam inter Annibalis milites compertum est, quandiu bellum cum Romanis gessit: quanuis profani essent & ex variis gentibus collecti. Videant quàm turpe fuerit homini, si corporis membra se mutuò dilanient, aut patri-familias, si domestici litigantes conspiciantur. Quamobrem videant vt summa concordia rem gerant, tanquã inspectante DOMINO.

XXXII. Et quoniam tum notitia tum ipso vsu compertum est mediam rationem (tribus enim rationibus hostis tractari potest) damnosam semper esse, vt qua nullus comparatur amicus, nullus tollitur inimicus: omnes duces sic statuunto, duas istas extremas sequendas esse, nempe vt summo iure erga proditores & seditiosos armatos, erga quietos autem Catholicos quam maxima lenitate vtantur.

XXXIII. Illorum nemini parcatur, his nulla fiat iniuria, nulla vis, neque in cultu Religionis, ornamentis, fortunis, aut salute; imò amicè seruantor tanquam ciuitatis & patriæ socii. Saluis doctrina summa charitate & affectu verè Christiano, quoad scilicet se dociles præbere volent, communicator, vt hæc quidem in re bono duntaxat exemplo cum illis agatur, cui omnes sanctè viuendo studebunt. Ea enim ratio, Deo fauente, cum Euangelii prædicatione satis est vt ad summi boni agnitionem adducantur.

XXXIIII. Iam verò vt fidelium res acciſæ ferunt, sæpe continget vt rei penuniariæ & frumentariæ penuria laborẽt. Cui vt succurratur, Catholici (sic tractati vt dictũ est) rogabuntur vt eos velint iuuare. Id si recusabunt facere, & necessitas coget, vrgere licebit, sed æquissimis, quoad eius fieri poterit, rationibus. Id quod profecto illis crimini dari non poterit, si Dauidis factum expendatur, qui panibus sacris, quum necesse esset, vesci non

sci non dubitauit.

XXXV. Qua in re videant Duces & Consiliarii, vt frugaliter administrentur quæcunque in ærarium publicum incident, nequid dissolutè insumatur, neve socii & amici supra modum grauentur. Obseruent quod à Liuio dicitur, bello gerendo etiam commeatum parari, dum ex hostico viuitur. Cui rei testimonio est quòd Annibal diuturnum in Italia bellum gessit, quo tempore à Carthaginiensibus pecunias nullas accepit.

XXXVI. Quòd si ita miles institutus sit, vt cum modestia ac Dei metu contentum se præbeat iis quæ apud hospitem occurrent (id autem fiet si præter verbum Dei & leges militares, quæ illis freni vice esse debent, hoc insuper apud se cogitet, quidnam sibi, si eodem loco esset, fieri vellet) non est dubium quin, vbi castra facere necesse erit, tum singuli homines, tum oppidorum tota plebs libentissimè commeatum, pecuniam & cætera necessaria administraturi sint, & iis traditurí quibus hoc negotium demandatum fuerit.

XXXVII. Lenis illa & humana in expeditionibus viuendi ratio, præterquàm quòd Christianum hominem decet, mirificè placebit omnibus qui tum ciuitates tum pagos incolunt, quos non fugit quàm æqua & quàm vi expressa sit hæc defensio, hostes contrà quanta perfidia hæc mouerint, quum nihil esset necesse. Itaque quum superioribus bellis militum insolentia & ferocia rusticos ita alienasset, vt in magno vico vix quisquam occurreret, quem alloquerentur: deinceps conabuntur eos quàm humanissimè excipere & omnibus officiis prosequi, aduersus pacis communis & societatis Gallicanæ hostes.

XXXVIII. Castrorum præfectus vnus esto aut etiam plures, cum magno lictorũ numero, vt statim ac summo iure in militem animaduertatur, qui Deum dedecore afficerit aut in leges militares deliquerit.

XXXIX. Polybii verbum memoria tenento, præcipuas

partes Imperatoris esse vt consilia & ingenium hostis cal leat. Proinde exploratores magno numero quoque versum habento, vt alios aliis commutent.

xl. Hoc in primis firmum & ratum habento, ne vnquam fidem iis habeant qui toties, tam insigni & prodigiosa proditione fidem datam soluerunt, quietem & pacem publicam sua temeritate turbarunt. Arma ne exuunto quandiu illi doctrinam salutarem expugnabunt, & illius professores bello persequentur. Pacem insidiosam nunquam ineunto, quæ hostibus ad cædes faciendas cõmoda & apta sit. Quod si aliquando tandem de componendis bellis & ineunda concordia agetur, hoc iis conditionibus statuitor, vt ante omnia transigantur quæ pertinent ad Dei gloriam. Denique Ecclesiarum rationibus ita prospicitor, vt iam luporum & tigridum faucibus nõ sint obnoxiæ.

Quòd si (vt suprà dictum est) Deus pro sua clementia tyrannorum animos mouere & mutare aliquando velet, vt illi perfacile est, tum alacres se & prompti iis submittunto quos Deus illis præfecit, illisque per omnia dicto audientes sunto. Sin autem scelera ad summum peruenerunt, eósque Deus statuit delere, siquem illis excitabit Principem Christianum, malorum vindicem, & vexatorum liberatorem, huic se obsequentes reddunto, non secus ac Cyro cuidam diuinitus concesso. Tantisper dum hæc fiant, tantisper istis decretis modo legum vtuntor.

Has leges, instituta & consilia, insuper alia quæ ipsi ex se pro ratione temporum, ad normam superiorum & verbi diuini condere poterunt, illis mandamus, quas tueantur & obseruent exactè, & in omnem posteritatem transmittant. Neque verò committant vt aranearum telis (quemadmodum Soloni Anacharsis dicebat) sint similes, in quas si quid leue inciderit, comprehenditur, grauiora disruptis maculis transmeant. Hæc si seruabunt, certò illis confirmamus Dei erga illos eum fore fauorem, vt etiam

tiam si nihil à fratribus aliarum nationum auxilii habeãt (quod nimis iniquum esset, idque euenturum ne suspicari quidem volo) possint aduersus hostes incolumes consistere, Deum purè colentes, religionem procurantes, quantum scilicet euenta belli quod æquissima causa nititur, & sanctissimè geritur, pati possunt, auspiciis magni illius Dei bellorum præsidis, Regis seculorum immortalis, inuisibilis, solius Dei, sapientissimi & potentissimi. Cui honor & decus in omnem seculorum peremitatem.

Ecclesia. Amen. Ego verò ista tota mente credo, & certissima fiducia expecto quinctiam libẽtissimè tuæ sententiæ & iudicio subscribo.

Aleth. Ego quoque.

Philaleth. Idem mihi videtur.

Historiog. Quæ à Daniele dicta sunt, tam sancta esse reperio, vt non solùm mihi tum illa probentur, tum consilium quod ille dat Principibus Euangelicis, & miseris Gallis: verùm etiam gratia Dei (qui mihi, dum audio quæ Hugonotis acciderunt, mentem aperuit) multa quæ apud me cogitaui, efficiant vt eos credam probos esse, & puram religionem Christianam profiteri: maximè quum in mentem reduco fidei confessionem quam ediderunt, quam ego sæpius legi. Sed quoniam quoties eam legere instituebam, prius animum obfirmabam, ne quid quod illic habetur crederem, ne incautus deciperer (nam hoc nos semper Curio noster monebat, difficile esse Hugonotorum scripta legere, quin illorum similis euadas) non itarem attentè consideraueram. Verùm ita semper decipi optarim. Iam verò hoc sine vlla dubitatione credo quod à Daniele dictum est, diuino iudicio non impunè illos laturos (quantumuis cunctetur Deus) quam furiosam stragem Hugonotorum in Gallia fecerunt. Rideant illi suauiter licet: suam vitam non possunt prorogare ea vita quã tanta licentia, acsi Deus nullus esset, Hugonotis adimũt. Gratiam Deo habeo maximam, qui mihi oculos aperuit,

vocem ſuam communicauit,& è tenebris eduxit. Hunc rogo vt me corroboret, quo poſsim, ſi opus erit, cum cæteris piis pati pro veritatis teſtimonio.

Polit. Idem quoque ego dico, credo & opto: paratus ad omnia obeunda quæ videbuntur prodeſſe ad Dei gloriam & Eccleſiæ ſalutem illius beneficio, quantum quidem meæ vires ferent.

Eccleſia. Laudetur Deus in æterna ſecula, qui virtutem & potentiam cum clementia & gratia in duos iſtos illuſtrem reddidit. Enimvero fauſtiſſimum vobis in domum DOMINI ingreſſum gratulor. Dabo operam vt veſtra conuerſio omnibus nota fiat, vt communis ſit omnibus lætitia, & gratiæ Deo ab omnibus agantur. Tu verò mi Hiſtoriographe adibis Reges, Principes & populos qui Euangelium profitentur: indicabis quæ geſta ſunt in Gallia, & decretum Danielis, vt quæ ſuarum ſunt partium videant. Tu porrò Politice ad Gallos fratres noſtros & membra te conferes, vt cum illis decretum, conſilium & leges quas Daniel tulit, communices: denique communi cum illis ſtudio videbis vt omnia ad Dei laudem & filiorum ſalutem perficiantur.

Hiſtorio. Sanè placet.

Polit. Non recuſo.

Eccleſi. Benedictione ſua vos augeat Deus, ſuóque vos ſemper Spiritu gubernet, propter Filium ſuum IESVM CHRISTVM DOMINVM noſtrum. Amen.

FINIS.

IN

IN REGIAM PERFIDIAM.

Iuppiter in cælo periuria ridet amantum.
Dixit qui ſuperum numen inane putat.
Sit nunc conſpicuis rutilo diademate Reges,
Quique ſacrum à Chriſto nomine nomen habent,
Quum nullo iactent periuria tetra pudore,
Atque datam fallant terque quaterque fidem,
Quodnam illos cœlo credas agnoſcere numen,
Quod ſic mendaces fraude dolóque colant?
Nam verus Deus eſt verax, mendacibus hoſtis,
Et vero tantum ſe iubet ore coli.
Nullum illis cælo eſt, terris modò numen adorant,
Quod Roma auguſta viſitur arce ſedens.
Hic illis Deus eſt, hac illis otia fecit,
Periuraſque artes ſedulus edocuit.
Fraudibus inuaſit ſublimis culmina Romæ,
Fraudibus ille ſuos ſceptra tenere docet.
Ille ſuorum igitur non iam periuria ridet:
Sed tanquam fidei dogmata ſancta probat.
Nota fides deinceps periura eſt regia linguæ:
Dicatur virtus regia, nulla fides.
Vanorum caueant omnes mendacia Regum,
Iuratiſque fidem nullus habere velit.

IN REGINAM MATREM.

Quum tuus in Chriſtum fureret Catharina maritus,
Huncque ageret falſæ religionis amor,
Vt veri ignarus cuperet ſanctiſſima Chriſti
Vrere ſubiectis torrida membra rogis,
Fama eſt te totam ſtudio flagraſſe librorum
Ex quibus hauriri dogmata vera decet.
At quum morte viri viduæ totius habenas
Gallica nobilitas prodidit imperii.
Quæ tibi cunque Deo cæleſtia dona fauente
Contigerant, auſa es turpiter abiicere.

Sed quid miremur, si rursus amica luto sus
Suauiter in cœno lota semel iaceat?

Versus numeralis, annum & diem cædis nefandæ Andreælis indicans.
Bartholomæus flet, quia Gallicus occubat Atlas.

Finis primi Dialogi.

DIALOGVS SECVNDVS, AB EVSEBIO PHILADELPHO COSMOPOLITA IN GALLORVM ET VICINARUM gentium gratiam conscriptus & nunc primùm in lucem editus.

***

l:m:v:l:vj:lliçv:ççv:l:

1572.

the french masiere was 50: yeares since.

1622.

EDIMBVRGI,

Ex typographia Iacobi Iamaei.

1574.

Argumentum ſecundi Dialogi.

Politicus & Hiſtoriographus Galli, legatione ſibi commiſſa obita, diuerſo itinere regreſſi: forte quadam diuinitus Friburgi Briſgoiæ in eodem diuerſorio alter in alterum incidunt: & mutua gratulatione functi, legationis ſuæ ſucceſſum inuicem enarrando, præſentem Galliæ ſtatum deſcribunt, atque obiter attingunt res Angliæ. Aſpergunt etiam nonnulla de Magiſtratuum & Principum poteſtate, de Tyrannide, de voluntaria Seruitute, multiſque aliis rebus ad hæc tempora neceſſariis & accommodatis. Poſtremò quæ ſuperſunt narranda, reiiciunt in craſtinum.

* * *

DIA

DIALOGVS SECVNDVS.

Personæ.

Politicus. *Historiographus.*

Politicus sic incipit canens Psalmum 124.

Ni fauentis affuisset numinis præsentia
(Dicat Isaci propago) Numinis præsentia
Ni fauentis affuisset, quum ventret perditum
Nos superba multitudo, freta stultis viribus
Forte vivos deuoraſſent:-

Hist. Fallor, aut hæc quæ insonuit auribus meis, illius est vox, quo nemo est quem mihi offerri malim.

-debilesque & pauculos,
Ira feruidi furoris auida nostri sanguinis,
Obruisset instar vndæ nos procella cladium:
More torrentis nimali ab umbre turgidi, impetus
Nos repente sustulisset: vsque ad animam gurgites
Vsque ad animam trænsissent gurgites impervii.

Historiog. Nisi deliro, is est, quem me modo audiisse dicebã, amicus meus: Prorsus ipse est: Deus bone quò nam tam cito ex oculis euanuit meis? quò se proripuit? num forte in hoc cubiculum? opinor, adibo, pulsabo: heus ecquis aperit hoc ostium mihi?

Polit. Ostium concrepuit foris, sed quis tu homo es qui tam familiariter pultas?

Historio. Amici vocem planè agnosco, neque temerè accidit ad aures meas: Amice aperi actutum quæso: amici sunt qui te conuentum volunt.

Polit. O Deus bone! Historiographum meum video: apud me sum: planè istud somnium non est.

Historiog. Ego verò ille sum quem tu prædicas, ô mihi omnium quotquot viuunt mortalium amicissime.

Polit. Planè teipsum teneo, non vmbram: vtinam te amplectar dimidiam partem mei: ah quandiu diem istum videre gestio, cum frui conspectu tuo mihi liceret!

Historiog. Nescio quid contingat aliis, sed mihi vbi te præsentem conspicor prorsus idem euenit, vt iis qui vbi diu multúmque rarum aliquod bonum studio & spe præceperunt, vix animo capiunt eo se frui, posteaquam eius fruendi copiam habent.

Polit. Et in hoc quidem similes & planè gemelli sumus: adeo perfusi lætitia sensus mei tantæ iucunditatis veritatem non capiunt nec continent: vereárque ne teipsum non conspicer, sed simulacrum tui.

Historiog. Præsentem tamen teipsum video, & tu item me: tu mihi spectrum non es, neque ego opinor, tibi: ambo per Dei gratiam hic sumus.

Polit. Et quidem hoc ipso loco, si ita videtur tibi, gratias tanti beneficii Deo liberatori persoluemus, quo aspirante infinita pericula & mille mortes euasimus, & imprudentes magis opportunè & attemperatè alter in alterum incidimus, quam si id nobis consultò prouisum & destinatum esset: tum deinde per otium alter alterum interrogabimus de profectionum nostrarum successu.

Historiog. Præclarè mones: neque prætermitti à nobis potest tam iusta & tempestiua occasio celebrãdi Dei quin subeamus fœdum crimen ingratitudinis, Deo iuxta atque hominibus inuisum. Sed occludenda est ianua ne forte incurramus in temeritatem & væcordiam istorum hominum, apud quos interdictus est verus Dei cultus & pura nominis ipsius inuocatio, quemadmodum & in toto Papatu.

Polit. Prudenter. Sed spero propediem futurum tempus cum liceat vbique locorum seruire Deo liberè & extra omnem metum. Posteaquam Diuina & Potens ipsius maiestas pœnas sumpserit de insigni illa Meretrice, quæ terram scortationibus suis corrupit: quum Reges terræ qui cum illa scortati sunt & in deliciis vixerunt, lugebunt & plangent super illa, quum viderint fumum incendii eius, &c.

Atque

Atque eo tempore quum nulli erunt Cananæi in domo Domini exercituum, & quotquot reliqui supererunt ex gentibus quæ oppugnauerint Ecclesiam Domini adorabunt Regem Dominum exercituum: quemadmodum prædixit Zacharias Propheta capite vltimo. Tum, inquam, vbique Deo seruiemus.

Historiog. Eadem mihi prorsus spes est: Sed nostrum est, tantisper dum aduentat serena ista tempestas cautè & circunspectè incedere, & patienter expectare dum adsit tempus istud quod Pater in potestate sua posuit. Ipsum quidem orare possumus & debemus, vt contrahat dies istos, & acceleret tempus beatæ Vocationis Electorum suorum.

Polit. Verè & sanctè loqueris. Ergò simul Deum piè ac suppliciter inuocemus, ac tu, si lubet, preces concipe, & verba præi: ego verò toto pectore sequar te orantem.

Histori. Imo verò lubet: Precemur ergo:

Domine Deus omnipotens & Pater æterne nos humiles & inutiles serui tui, quos singulari tua gratia ex tyrannide tenebrarum in Regnum lucis transtulisti, & quorum opera vti dignatus es ad obeunda munera & functiones Ecclesiæ tuæ necessarias, tibi gratias agimus, te laudamus pro infinitis beneficiis, quæ liberali & indefessa manu effudisti in nos: quòd videlicet secundo & propitio tuo robore nos deduxeris ac reduxeris incolumes & omnia itineri nostro opportunè & necessaria benignè suppeditaris: denique quòd nos per aperta pericula integros illæsosque traduxeris, quæ nos erratis nostris nobis vltrò imprudentes accersimus. Petimus verò abs te Domine vt deletis peccatis nostris, continuo gratiæ cursu prosequaris nos, omnesque seruos tuos prout ipse tu expedire nosti ad incrementum gloriæ nominis tui.

Sed imprimis effice, vt constanter innixi promissionibus salutis æternæ toti pendeamus à paterno fauore

prouidentiæ tuæ, cuius etiam vel viles auiculæ curam & solicitudinem sentiunt: donec nos exutos mortali hac carne, in beatæ immortalitatis libertatem plenè vindices. Interea prospice omnibus Ecclesiæ tuæ necessitatibus, accelera tempus Vocationis tuorum: & contrahe dies istos calamitosos & matura iucundum illum diem instaurationis omnium rerum.

Nobis verò hoc speciale donum concedito, Domine, vt mox redditi Ecclesiæ à qua missi sumus, ei rationem obitæ nostræ legationis & fideliter administratæ syncerè reddamus. Quod quidem abs te petimus freti gratia & beneficio Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Polit. Amen. Iam verò priusquam tu narrationem ordiaris, vnum quiddam mihi succurrit: me videlicet magnopere gaudere, simúlque mirari, dum longi itineris molestias & labores abs te superatos mecum reputo, quòd tu ad nos tam bellè habitus & nitens redeas, quantum ex vultu ipso coniicio.

Historiog. Viæ quidem certè longitudo, & regionum quas emensus sum diuersitas mihi non parum pepererunt molestiæ. Sed vicissim hilaritas animi, quæ mihi vsque semper adfuit, ita omnem prope molestiam dempsit, vt dura etiam quæuis leniret quasi quædam iucunda facilitas. Pericula certè ita declinaui, vt non obscurè experiter fidelem & validam Dei manum, qua suos ab omni discrimine liberat.

Attamen, vt ingenuè dicam, nihil mihi molestius accidit quàm cum inciderem in obscœnas compotationes & fœtentes crapulas hominum ebriosorum, qui inuitant & cogunt ad bibendum, & poscunt immanibus poculis: quod quidem vitii genus animaduerti tota Germania: tum deinde cum viderem in Anglia peregrinos & profugos ab indigenis superbè salibus spargi, cubito impelli, canes Francos vocari, multáque alia petulantiæ & arrogantiæ plena licere: ea verò demum me grauiter offenderunt.

Polit. Haud arbitror iniuria. Et illæ satis iustæ videntur liberis & ingenuis hominibus ad indignandum causæ. Sed longe grauior esset molestia, si huiusmodi aliquas ineptias Christiani & graues homines admitterent. Existimo enim prodigiosis istis & intempestiuis potationibus non alibi vsquam esse locum, quàm forte apud aliquot ebrioſos Papistas in popinis & diuersoriis, in quæ si fortasse incidas potes in conclaui secreto, teipsum turbæ eximere, & istorum Silenorum vim atque impotentiam fugere. At in aulis Principum, ac Protestantium (quos vocant) quò maximè tua te negotia ducebant, penè pro certo habeo, te nihil vidisse simile. Ac ne inter Anglos quidem honestos & graues iudico te animaduertisse quicquam, præter humanitatem & comitatem singulari iunctam modestiæ, nisi me admodum ipsa frons & tota corporis species fallit.

Historiog. Vtinam sic sit vti dicis amice: sed his planè contraria sum ipse expertus. Maximi quique omnium turpissimè labuntur. imò qui videntur omniū religiosissimi, fœdiorē quàm par esset ex eiusmodi vitiis labē cōtraxere.

Polit. Hem, quid ais?

Historiog. Ita est vt tu audis. Hoc ita esse asserо & confirmo: tum nemo intercedit, nemo arguit: ipsi sibiipsis quiduis pro arbitrio indulgent & permittunt.

Polit. Quid verò interea Pastores? non inuehuntur in hæc vitia.

Hist. Inuehuntur verò nihil minus: magna ex parte canes sunt muti, fratres Heli: omnis extincta est disciplina.

Polit. Fando tamen audiui, esse in Anglia complures Pastores bonos & fideles Christi Ministros, qui cum vitam & mores hominum reformari cupiant, tum externas aliquas cæremonias corrigi, quæ adhuc supersunt ex Papatu: tum scriptis tum viua voce moliantur & omni studio contendant, vt instauretur Ecclesiastica disciplina: esse item ex protestantibus Principibus aliquem, qui eam in suæ ditionis finibus statuere vellet,

Historiog. Vera sunt quæ acceptisti. Sed boni illius Principis laudabiles conatus optatum effectum non sunt adepti. Boni verò illi Pastores, eo ipso tempore quo apud Anglos agebam à Magistratibus variè vexati sunt: alii in exilium acti, alii ministerio moti: Scripta verò etiam quibus de reformandis moribus agebant pro seditiosis damnata sunt.

Polit. Quid audio!

Historiog. Sic se res habet.

Polit. Equidem non miror præclarum istud opus benè à Principe illo inchoatum, ad irritum cecidisse & abiisse in fumum. Eà enim est ferè Principum in Ecclesiis sibi commissis repurgandis tarditas atque segnities, vt leui momento impediantur, quò minus animosè pergant: tum bona consilia non rarò euertuntur malitia populi, qui leni & humana Principum suorum natura ad fœdam licentiam abutitur. Sed quod de Anglia narras, illud me non mediocriter mouet: Tantámne iniustitiam ferri! tantum dedecus tolerari! Planè conicio vnde eruperit tanta vis mali. Neque enim aliunde profecta est quàm ex fastu & arrogantia aliquot Episcoporum, tum ex astuta simulatione & hypocrisi quorundam qui Reginæ sunt à Consiliis, quorum tamen nominibus parco.

Sed audiant præter Scripturæ locos, quod scripsit doctissimus quidam Theologus de disciplina Ecclesiastica agens: Si nulla societas, imò nulla domus quæ vel modicam familiam habeat, contineri in recto statu sine disciplina potest: eam esse multo magis necessariam in Ecclesia certum est, cuius statum quam ordinatissimum esse decet. Proinde quemadmodum saluifica Christi doctrina anima est Ecclesiæ, ita illic disciplina pro nouis est: qua fit vt membra corporis, suo quodque loco inter se cohæreant. Quamobrem quicunque vel sublatam disciplinam cupiunt, vel eius impediunt restitutionem, siue hoc faciãt data opera siue per incogitantiã, Ecclesiæ

cert

certè extremam dissipationem quæruntur. &c.

Histor. Hæc quidem non minus grauiter quàm verè scripta sunt. Sed quid facias, vbi qui inter Ecclesiasticos primarium locum obtinent, & quos par erat prælucere cæteris, vtcunque suscepta doctrina, reformationem vitæ negligunt? Ac tametsi Scotorum cæterarumque Gentium, à quibus reuerenter excepta est, exemplum habeãt propositum ad imitandum, minimè tamen illos pudet apertè aduersari omni disciplinæ. Interea latet hypocrisis, teguntur vitia sub magna illa ceremoniarum pompa, sub ficta simplicitate linei veli, eleganter & concinnè plicati instar sacerdotalis infulæ, sub vano & superfluo ipsa Meridie lucernarum splendore, sub arguto, sed nihil significanti organorum & fistularum sono. Tum deinde ibi vndique harmonia musica templa personant, ibi magnum scilicet Dei oblectamentum audiuntur vocum iunctarum concentus hilares & iucundi. Tum actionem omnem ornant præsentia sua Dom. Archiepiscopus, Dom. Primas, Dom. Episcopus magna stipante caterua nobilium puerorum, pedissequorum, calonum, quibus alii vicenis, alii 30 alii 40 nonnulli centum aliqui etiam ducentis equitibus stipati incedunt.

Pol. Heu Domine quamdiu tales Oeconomos patieris præesse domui tuæ! Heu quales agricolas, & quam fide es messores! Euangelium susceperunt in vanum, nebulones, & pietate ad quæstum abusi sunt.

Hist. Oh bona verba quæso! paulò asperius obiurgas: non omnes eo numero sunt habendi: nam vt cætera desint, doctrinam certè puram obtinent.

Pol. Siccine verò. At vbinã sunt fructus sanctæ & Domino consecratæ vineæ? Num potius agrestes & immites vuas referunt quam veras? Num metuunt (istos alloquor quos speculatores attribuit Israeli) ne Dominus exposcat oues quæ ipsorum culpa pereunt? Imò verò an non metuunt ne Dominus auferat lucernam è medio eorum, ne ipsos adigat ad famem & inediam, inediam,

inquam, veri & spiritualis cibi, quando ita turpiter eo rebuuntur? Sed Regina ipsa, quæ virtutis & sapiētiæ fami apud exteras gentes obtinet, quæ in suo Regno Capitis Ecclesiæ & defensatricis fidei titulum gerit, fieri non potest vt ipsa, inquam, & qui ipsi sunt à Consiliis, tā fœdam & pudendam corruptionem serpere patiātur in domum Dei viuentis.

Hist. Nondum omnia tenes: longè grauiora & magis timenda supersunt.

Pol. Proh deum immortalē! quid potest deterius vel cogitando fingi in iis qui Euangelio nomen dederint, quàm dimidiatam tantùm partē admittere, altera repudiata, solam nimirum doctrinam?

Hist. At nonne longè grauius esset, si ne istam quidem reliquam dimidiam partem tanti facerent, vt si forte aliquo casu illis eriperetur, & ea carendum esset, non magnopere sibi putarent lugendam?

Pol. Ego quidem non dubito.

Hist. At nihil iam propius abest, quàm vt eam amittant, nisi maturè prouiderint.

Pol. Istud me quidem longè grauissimo mœrore afficerit, si ita, vti dicis, contingat, tametsi ingratus iste populus iampridem grauem hanc pœnā meretur. Verùm dic mihi quo argumento tu ita futurum putes?

Hist. Vno verbo expediam. Non alia magis machinā omnia labefactari & conuelli possunt, quam vnius Reginæ morte.

Pol. Quid ita obsecro? An non potuit, præsertim Regina & quæ iam decimumquartum aut decimūquintum regnat annum, iis legibus & institutis Remp. cōstituere, vt Euangelii doctrina pura & inuiolata post ipsius ætatem permaneat, vel inuito Papatu? Adeò ne parùm profecit legendis veterū libris, quos ipsi valde familiares esse intelligo? Allegandus erit illi scil. Cicero magister, vt eo præceptore discat maiorē fuisse zelū & vehementiā studiū profani hominis in tuenda Rep. Rom. quā Chri-

stianæ

ſtianæ Reginæ in Eccleſia Dei defendēda. Mihi (inquit in perſona Lælii) non minori curæ eſt, qualis Reſpub. poſt mortem meam futura ſit, quam qualis nunc ſit.

Hiſt. Attamē hoc tibi denuò cōfirmo & prædico, niſi Regina & Conſiliū aut Parlamentū Angliæ tēpeſtiuè occurrerint iamiā impendēti & mox caſuræ tēpeſtati, omnino fore vt mox patiantur repentinam & horrendam euerſionem Status ſimul & Religionis.

Pol. Eheu miſeri! Quid cunctantur? Quid dormiunt? Quid cauſæ eſt, quominus Regno ruenti ante ruinā ſuccurrāt?

Hiſt. Ecqua digna re illos diſtineri vel occupari putas, quominus tam neceſſariū negotium aggrediantur? Non alia certè præterquā aulica vanitate & flagitioſis Curiæ moribus, Prælatorum deliciis, nobiliū ſuperbia, atq; vt vno verbo expediā penuria Zeli, quē apud Anglos perexiguum, aut prope nullum animaduerti in aſſerēdo puro Dei cultu. Ergò Deus vt tam pudendæ ſecuritatis & ſocordiæ pœnas expetat, arcano quodā iudicio Reginam Scotiæ irretitam aliquādiu & veluti cauea cōcluſam reti net, quam mox emittat, hac quæ nūc regnat morientē: Regni verò hæreditati iſtam proximo gradu imminere vulgò notū eſt. Quæ ſi ita cōtigerint (quanquā nolo malè ominari) quam atrocem tempeſtatem concitura ſit, iam quaſi de ſublimi ſpecula proſpicio.

Pol. Etiam ne hodie viuit fatalis iſta Medea, quam iampridem extinctā oportuit? Quouſq; tandem aletur exitiale iſtud monſtrū? Nam Catharina quidem Medicea, & filii eius omnes, & ſuperiores & præſentes Tyrannos luxu, ſæuitia, perfidia denique facilimè vicerunt: Sed huic Proſerpinæ proximum ab iſtis locum deberi iudicorita ſemper decus, pudorem, faſtigium, corpus, cuncta denique flagitio & libidine viliora habuit. Videbantur quidem truces & cunctis malis cupidinibus flagrantes iſtius ſpiritus, longo carcere domiti & fracti propemodum exuiſſe ferociam omnem.

Sed quantùm cognoſci licuit, nondum ſubigi nec cohiberi potuit impotentis iſtius naturæ rabies, quominus funeſta conſilia & artes fœliciter ſæpe tentatas in Reginam verteret: ſiniſtro quodam fato eorum perniciem ſecum trahens, qui connubium ipſius appetiuerunt. Infœlix Dux Northfolcius, qui poſtremus improſperè tentatæ affinitatis pœnas morte ſua exoluit, documento fuit nihil non ab iſta eſſe tentatum, vt vitam Reginæ eriperet, quæ omne ius vitæ ac necis in eam habet: ac cogi eos quorum cuſtodia ſepta & beneficio viuit quotidie de ſalute & vita periclitari, niſi mortem iſti Furiæ accelerēt. Verùm quid cunctantur? non exoritur aliquis, qui Reginam & ipſius Conſiliarios doceat, quàm ſit periculoſum ſerpētem iſtum in ſinu ſuo fouere, & quàm neceſſarium tollere?

Hiſt. Non defuere quidem pii & docti homines, qui omnia ad hanc rem neceſſaria argumenta colligerent, Reginámque ſeriò monerent & ſæpe: eximeret tale portentum terris ipſius etiam vitæ & capiti imminens. Verùm vt illa eſt mitis & humani ingenii, non facilè adducitur vt ſanguinem fundat.

Pol. O præpoſterā clementiam! ô lenitatem intempeſtiuam! quæ ruinam florentiſſimi Status & Religionis ſecum trahit. An non crudelis potius miſericordia illa vocanda eſt, & omni ſæuitia periculoſior? Nam vbi propinqua calamitas iuſtis & licitis rationibus vitari poteſt, qui prohibere poteſt nec prohibet, an non is tot malorum quæ hanc negligentiam ſequentur, cauſam culpámque ſuſtinet? An non inclemens eſt iſta clementia, dum parcas vni capitali pœnæ obnoxio, tot innoxia capita, ferro & cædibus obiicere? Principes quidē duplici ſcelere ſeſe haud dubiè obſtringunt, ſi vel in iudiciis exercendis remiſſi ſunt & diſſoluti, vel in procuranda ſalute populi ſecuri nimium & ſegnes. Deus verò etiam peropportunè liberam facit optionem Reginæ: malítne iſtam ream, conuictam, & multis præiudiciis cōfoſſam & damnatam

natam iusto supplicio plecti, atque ita Statum Religionis & Reipublicæ firmari & componi: an spreta iudiciali seueritate, Regni simul Statum & Religionis autoritatem conuellere. Neque enim vlla ratione declinari aut recusari potest grauis illa necessitas, neque impediri quo minus Elizabethæ mortuæ exitialis ista Clytemnæstra succedat. Iam si ad illam peruenerit Regni hæreditas, quis dubitat quin magna rerum mutatio per Angliã & funesta Religionis euersio secutura sit? & qui in veræ pietatis confessione perstiterint, vt mitissimè habeantur proiiciantur in exilium: denique extorres, infames, cum liberis errantes & calamitosi, inopia & longa tabe pereant, quarum calamitatum iam regnante Maria tristia documenta extiterunt.

Hist. Vera prædicis. Atque ego cum in aliquot Anglos prudentes & honestos viros incidissem, & sermo, vt fit, ea de re forte esset ortus, illi nihilo meliorem rerum statum sibi pollicebantur. Quinetiam cum nuper Regina aduersa valetudine detineretur, complures iam grauiorum metu de sarcinis componendis & vertendo solo cogitabant.

Pol. Eheu miseri! Sed quid causæ est, cur Senatus ille Anglicus cuius tanta est autoritas quantam tu nosti, Reginam tamdiu suspensam & dubiam teneat? quid prohibet quòminus planè & dilucidè Reginæ aperiat, quid in eo ipsi tandem sit statuendum. Neque enim hic duntaxat agitur, an superiora ipsius flagitia plectantur, sed qua ratione vitentur præsentia & impendentia mala: & mirabiliter cæcutient quibus istud perspicuè non patebit. Nam si qui fortè aliquando condonarunt similes noxas, iis quidem condonarunt, à quibus nulla eiusmodi conspiratio noua metui poterat. Sed iis demùm ignoscere, qui eũdẽ animum, easdem artes & instrumenta nocendi retinent, temeritatis magis meretur quàm misericordiæ nomen. Anglia (vt est in prouerbio) Lupum auribus tenet: neque illu tenere poterit: sed multò minus debebit emittere, si

me audiet: nam hac & illa via vtique semper nocebit. Periculum quidem præsens, & sæpius expertum documento est: Impunitate scelera, tanquam præmiis allici. Nam si vltrò impingas ad eundem scopulum, vbi nauem fregeris, immeritò ventos & Neptunum accuses.

Mihi quidem plane persuasum est fore, vt quandiu Scotica Regina ibi vixerit, Statum illum intestinis dissidiis & occultis consiliis turbet: sin euaserit (quod Carolus Valesius molitur) erumpat in apertum bellum. Iam verò quæ grauior calamitas accidere potest Regno vel Populo, quam si talem & tam pernicioſum Principem nactus sit qualis ista est? Principiô enim cum hostiles inimicitias aduersus Regnum illud superioribus bellis exercuisset, postrema ista conspiratione & dolis in Reginam compositis capitale odium nudauit. Neque illam ambitio & insana sceptri cupiditas, sinunt expectare iustum & legitimum successionis tempus: sed auida spes regni præcipitem animum ad vltimum nefas impellit, & quemadmodum aliquando Regni Angliæ titulum & insignia vsurpauit: sic variis artibus in plenum ipsius dominium ac possessionem conatur inuadere. Præterea neque est, neque erit in peregrina is amor, ea charitas erga patriam, qualis esse solet in vero hærede & ciue, quæ cohibeat effrænè ipsius appetitum & prohibeat ab occupando Regno. Postremò cum diuersam religionē sequatur, quod illi pessimum inest, & habeat iampridem in ipso Regni sinu partes & factiones paratas, quid iam prohibet, quin signo dato repente Anglorum ceruicibus incumbat? Quamobrem tale portentum in spem Regni cunctatione alere, & vltrò lacessere periculum, deinde illius vitandi faciles & licitas rationes negligere, expectare miraculosas: postremò lenitate præpostera salutem suam prodere, quid aliud est quàm Dei patientiam & virtutem tentare?

Hister. Securè tu quidem, & accusatorio animo loqueris: Sed si reæ ipsius defensionem audieris, & de vot ipsius

ipsius causa integro animo cognoueris, fortè aliter iudices.

Pol. Ego verò nolim tam subdolæ mulieri aures meas accommodare, quæ fallacibus blanditiis integerrimum quemque posset peruertere: sed sicubi fortè apud graues & moderatos iudices causa ipsius disceptaretur, ibi libentissimè quæ de ea re sentio, eloquerer.

Hist. Multa iam dixisti quæ te iudicem suspectum reddunt: tum ad alia nobis properandum est. Attamẽ quando in ea re non minima ex parte Ecclesiæ incolumitas vertitur, integrã causam, si libet tractemus: ne penuria rationũ tam necessaria vt dicis pœna eludatur: néve obiecta pro approbatis accipiantur. Atq; ego tanquam Reginæ Scoticæ patronus cuncta proferam quibus innocentia eius subleuari aut siqua illi obiiciuntur crimina, dilui possint: tu contrà accusatoris partes sustinebis, & pari fide exequeris omnia quæ ad ipsius scelera cõuincenda & illius populi salutẽ pertinent. Ego verò quæcunque à nobis agentur facilimè Angliæ Proceribus significabo: tum itineris mei successum ordine aggrediar.

Pol. Haud equidem abnuo: neque vereor quin facilè meipsum probem iis qui integris animis ad rationes meas diiudicandas accesserint. Sed priusquam progrediamur, in hoc negotio, cẽseo, sicuti in cæteris quæ ad Rempub. pertinent, duo coniunctim consideremus: Vnum, Si quod proponitur honestum est, alterum, si vtile. Nã qui in ciuilibus negotiis vtilitatẽ solam spectandã censent, & eam segregant ab honestate exiguã honoris & conscientiæ rationẽ ducere videntur. Melius Atheniẽses, qui cum Themist. in cõcione dixisset, se habere consiliũ Reip. salutare, sed id scire opus nõ esse, postularétq; vt aliquẽ populus daret qui cum communicaret. Datus est non amplificandæ quoquo modo Reipublicæ studiosissimus, sed iustissimus Aristides, qui cum dixisset populo perutile quidem esse consilium quod Themistocles afferret, sed minimè honestum, Athenienses quod honestum non

esset, id ne vtile quidem Reipub. putauerunt, totámque eam rem quam ne audiuerant quidem autore Aristide repudiarunt. Itaque in hac quæstione nobis perinde spectanda est æquitas & honestas, vt publica Regni Angliæ vtilitas: disceptandúmque rationibus vtrinque collatis, an id sit tam iustum & honestum quàm necessarium & vtile.

Certum est autem, nullum prope grauius posse crimen committi, neque maiore pœna plecti ab hominibus, quàm siquis in Regem & ipsius Maiestatem conspiret, præsertim si in ipso Regno id molitus fuerit.

Imò verò etiam quantùm Deo displiceat istud scelus; Coreh, Dathan, Abiron tristi suo supplicio omnibus seculis documentum præbuere. Dauid ab ipso Deo electus & quæsitus Israeli post Saulem regendo, satis habuit si seipsum à vi & iniuria defenderet: Saulis vitæ pepercit, cui tamen Dei oraculo destinatus erat successor: Itaque iussit interfici eum, qui perempti à se Saulis nuntium attulerat, tametsi necessitatem & Saulis ipsius mandatum prætexeret. Sed vanum esset vti in re non dubia pluribus testibus non necessariis. Nam quis dubitat eum qui conetur patriam perdere, Rempub. euertere, Principis vitam violare, extremo supplicio esse afficiendum? Cùm non modo liceat ipsis parentibus animaduertere in filios, fratribus in fratres, si Reipub. statum conabuntur euertere: verumetiã fas non sit filiis, si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ saluti patrum salutem anteponere. Ac profectò, siquis attentè consideret, quot crimina complectatur vnum hoc scelus, quot homines violentur, quot ex eo calamitates & miseriæ sequantur, tot maleficia reperientur huic adiuncta, & tam grauia, vt nullum non capitali supplicio dignũ videri debeat. Fingat sibi quisque animo & proponat velut ante oculos miserabilem speciem euersi Regni, sæuitiam proscriptionum, proscriptorum fugam, exilia, egestatem & longas calamitates experimento iam ante cognitas: tum ad-

dicet

dicet quid ſupplicii ei ſit recuſandũ, à quo tot, & tam ingentia mala orta ſint. Itaque aut omne Reipublicæ genus abolendum & omnis ex humana ſocietate iuſtitia tollenda, aut tam aperta facinora damnanda ſunt, nullo Regnorum & Rerumpublicarum ſtatu ſecuro, ſi eiuſmodi conſpirationes impunè habeantur.

Sed ſiquis ſupra hæc omnia humana mentem erigat & ſuſpiciat cœlos, vnde omnis autoritas & Magiſtratuum potentia lapſa originem & venerationem duxit, num protinus intelligat non poſſe Principibus ſceptra eripi, quin ea iura violentur quæ Deus humano generi maximè auguſta & ſacroſancta eſſe voluit?

Inuidiam verò & atrocitatem iſtius ſceleris purgare, negando cogitata facinora pro perfectis accipienda eſſe, ridiculum eſt.

Quippe expectandum erit Principibus, dum venena hauſerint, vel coniuratorum gladios in ſuum caput diſtrictos aſpexerint, & acceperint iugulo, vt tum demum à ſceleratis pœnas experant, à quibus manifeſtò erunt violati, cum Magiſtratibus ipſis & exactoribus pœnarum ſublatis, de iudicijs & legibus rei victores triumphabunt. Longiores hoc loco ſumus quàm neceſſe eſt. quis enim eſt, cui non perſpicua ſint illa quæ paſſim in hiſtoriis leguntur? Et quanta ſeuerit ate puniant leges Romanæ non tantum huius patrati facinoris, ſed inceptι reos.

Quamobrem cum omnium Gentium iure atque conſenſu, legibuſque diuinis & humanis iſtud conſpirationis crimen dignum vel mille mortibus & ſupplicijs iudicetur, facile ex eo conſequitur in eo puniendo non minùs honeſtatis & iuſtitiæ quam vtilitatis ineſſe.

Hiſt. Non inuitus aſſentior. Sed quando iuxta Ciceronis ſententiam, eorum etiam ipſorum quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio & comparatio de duobus honeſtis vtrum honeſtius, facile mihi concedes quòd honeſtius erit id eſſe eligẽdum, quemadmodum &

de duobus vtilibus quod vtilius erit.

Pol. Ego verò concedo.

Histor. Tum deinde in omni disceptatione ciuili, sed potissimum in iudiciis, primùm solet quæri de personis, tum deinde de factis, personis, inquam, tum iudicis, tum rei.

Pol. Fateor: sed quorsum istud?

Hist. Istuc ibam: considerandum videlicet nobis est, quibus quasi sit induta personis & qualitatibus quas vocant, Scotica Regina. Principio Regina est, Regni sui Domina & Princeps, pari iure & potestate cum Regina Angliæ, neque ipsius iudicio, imò ne cognitioni quidem obnoxia. Quis tu es, inquit Paulus, qui alienum seruum iudicas? Regnorum fines dominus nō magis montibus, fluuiis, & terminis, quàm dominio & iure discreuit.

Iam verò reuocare nos ad vetera quædam iura supremi principatus, quibus Anglia Scotiæ Regnum sibi vendicat tanquam ditionis suæ, quid hoc esset aliud, quàm penuria verorum, colores fucatos accersere? Itaque cum pro suo iure Reginæ personam ac dignitatem sustineret, Regium nomen non videtur amisisse, quanquam nunc captiua, tunc liberæ esset. Profertur publici Scotiæ Concilii autoritas, in quo omni Regia dignitate exuta est & in priuatū statum redacta. Sed popularis ista libertas & ius abdicandorum Regum summis Principibus inuisum est & suspectum, qui sibi imperium volunt concedi liberum & solutum, neque patiuntur se cogi, vt rationem administrationis suæ cuiquam reddat præterquam vni Deo. Itaque cum omnes Principes vno consensu hoc institutum teneant, vt autoritatem suam aduersus libertatem populi & iura subditorum tueantur, vix credibile est Reginam Angliæ ius animaduertendi in Stuardam iccirco vsurpaturam, quia sit à populo & ordinibus Regni Scotiæ repudiata. Postremò cum legitima potestate instructum esse oporteat, cum qui ad iudicij

iudicandum accesserit, non videtur Stuarda subiicienda iudicio Anglicæ, qua se inferiorem non debeat agnoscere.

Præterea si iure Gentium, & omnium Religionum sanctitate Regũ legati vel inter gentes barbaras sacrosancti putantur, vt à quibus illi violati sunt, execrandi & violatores humanæ societatis habeantur, quid fiet ipsis Regibus, à quibus legatorum autoritas pendet? Narrant historiæ Romanæ aliquid huic facto non absimile.

Legati venerunt ab Tarquiniis, bona modò repetentes, vnde illi exilium tolerarent: & cum in Senatu sententia vicisset, quæ censebat reddenda bona: interea legati spatio sumpto ad res asportandas, clam recuperandi regni consilia struere, & cum aliis alia moliri, ambientes nobilium adolescentium animos: cum his de accipiendis in vrbem Tarquiniis colloquuntur: sed patefacta coniuratione, de proditoribus sumptum est supplicium: de legatis paululum addubitatum est: & quanquam visi sant commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit. Is à quo missi erant Tarquinius Regno electus erat, quemadmodum Regina Scotiæ: Legati in ipsa Vrbe conspirauerant vbi benignè excepti fuerant, vt ipsa in Anglia molita est, cum ibi pro fuga exularet.

Placuit tamen sententia mitior, non esse violandos, tametsi graviter in Rempublicam peccassent.

Alterum etiam ius & causam proferet Stuarda, qua se eximat communi supplicio perduellium: quòd videlicet in Angliam tanquam in Asylum confugerit: quòd prælio victa tanquam ex naufragio seruata in eũ portum euaserit.

Iam si damnetur, ea res tantùm apud omnes conflabit inuidiæ, tantùm dedecoris afferet, vt clamitent omnes indignum esse facinus Principem à Principe tam in-

humanè tractari. Imò vel barbaris Principibus hunc esse morem, vt Principes regno pulsos & spoliatos dignitate, omni officio & humanitate prosequantur, & in omni honore habeant: summamque sui status in eo verti existiment, si reges honoribus exutos siue à subditis & popularibus suis, siue ab aliis Principibus, omni ope inuerint, vel saltem exceperint pro fugos: neque Religionem diuersam, neque veterem simultatem, neque occasionem quamcunque aptam huic iuri vnquam obstitisse & officio, quod Regibus & summis Principibus tribuendum est. Cuius humanitatis exemplum præbet Childericus quartus Galliæ Rex, quem cum Galli remouissent, & Regni finibus excedere coegissent, exceptus est à Ludouico Lotharingiæ Rege. Simile exemplum extitit in Alphonso Lusitaniæ Rege, qui cum à Sancho fratre Castulonensi Rege pulsus esset, ad Thilledam Granatæ Regem confugit, & ab eo omni regio cultu habitus, & post fratris mortem in regnum remissus est, quanquam is Sarracenus esset & mathematici prædicerent stirpem suam ab Alphonsi posteris deletum iri. Ludouicus XI, & Carolus octauus Galliæ Reges Zizimum Turcam à fratre Baiazete pulsum, susceperè & texere suo præsidio, quem & Innocentio Papæ defensum, Alexander ipsius successor Papali arte subuertit. Achis Dauidi vel diuersam religionem profitenti hospitium & tutam sedem præbuit: Tarquiniis Porsena Rex Clusinus: Themistocli Rex Persarum: quem cum soror ipsius Sandauce ad supplicium posceret, propter ipsius filios Salamine interfectos, violari tamen non est passus perfugium & Asylum, quod calamitosis omnibus & miseris aperiunt Reges.

Extant quidem illustria exempla Regum, à quibus violatum est ius illud sacrosanctum hospitii & asyli: sed fœdam istam perfidiam perpetuus seculorum & gentium consensus semper damnauit: & exitus ipsorum miserabiles veritatem huius criminis sanciuere: poetæ verò

verò etiam hæc argumenta in tragœdias translata intulerunt theatris: vt ea quidem obliuione sepeliri satius sit, quàm memorari, nisi fortasse propter documentum calamitatis.

Nec necesse est hoc loco disputare, an Regina Angliæ interposita fide publica promiserit Stuardæ tutum hospitium.

Nam posteaquam semel excepta est, dum tandiu captiua detinetur, ita videntur violari hospitalia iura, & eludi vtcunque illi promissa securitas. Alioquin excipienda non erat: quemadmodum fiebat olim ab Romanis, qui cum nollent peregrinos in fidem & clientelam suam accipere, iubebant intrà decem dies Italiæ finibus excedere: aut si accepissent, ita sinebant quietos, vt nullam nouam molestiam facesserent.

Imò & communi omnium suffragio damnantur, qui post partam victoriam & positis armis hostem interficiunt bello captum: quo iure igitur damnabitur Stuarda quæ bello capta non est?

Tertio hoc iure & argumento nititur Regina Scotiæ, quod captiua est: quod quanquam ipsius causæ videtur aduersari, propterea quod ex eo intelligi potest in fidem non esse receptam: contrà tamen plurimùm iuuat.

Nam si perfugium concessum & fides illi data sit, graui supplicio digna videtur, quæ aduersus illius salutem conspirauit, cuius benignitatem experta est.

Iam verò cum illi Regina Angliæ nihil humanitatis exhibuerit, nullo beneficio ipsam deuinxit: ac potius, quia asperius cum illa egit, neque generosa illa & ingenita Regibus beneficentia vsa est, dignior est cum qua Stuarda odio & malo quam beneficio certet. Quale vltionis exemplum exercuit Federicus Dux Austriæ, qui cum ad Regem Hungariæ quartũ, post cladem à Tartaris acceptam profugisset, ab illo pro captiuo habitus, & coactus est pecuniam & tres Comitatus Austriæ vi-

cinos quasi pretium redemptionis persoluere.

Tandem pacto liberatus bellum Regi postea intulit, & prælio commisso interemit prædonem, non liberatorem.

Deinde si nemo vitio vertat captiuo, cui libera custodia concessa non sit, si ex vinculis & catenis aufugerit: quis istud in Stuarda damnauerit, quam constat graui custodia septam semper fuisse, si omnes recipiendæ libertatis occasiones capteret?

Queri etiam fortasse poterit iniuriam sibi fieri, si immerentem vinculis coerceri. Nam aut captiua facta est legibus, aut iure belli, nihil tertium excogitari potest.

De legibus, iam docuimus obnoxiam non esse iudicio Reginæ Angliæ: non potest igitur legum vinculis teneri, quando deest veri Iudicii fundamentum, legitima videlicet ipsius iudicis potestas. At iure belli, quomodo fieri potest captiua, quæ nullo bello ab Anglis victa neque capta est? Itaque succurrat illud Elisæi Prophetæ, qui cum Syrios excæcatos miraculo Samariam adduxisset, & ab ipso peteret Rex Israëlis, an ipsos tanquam hostes interimeret: respondit, fas non esse eos interimi, quos gladio non cepisset, imò ne captiuos quidem fieri: proinde remitteret illæsos. benéque & lautè acciperet. Cui quidem consilio aut potius oraculo paruit Rex.

Si quis curiosius in actiones & superiora facta Reginæ Scotiæ velit inquirere. & obijciat ipsius fraude Scotiæ Regem ipsius virum occidisse, qui cum Anglia ortus esset, videtur posse Angliæ Regina cognitionem habere & iudicium ferre de iniuria illata suo subdito & ciui à peregrino, si forte illum intra fines Regni sui deprehenderit. Sed hic cautio est, ne suspicentur plerique subesse dolum, & velari specie iuris occultam quandam simultatem: præsertim cum defunctus Rex Scotiæ, simulatq; Regnum illi delatum est, patriam quodammodo mutauerit,

ucrit, & ius ciuitatis Anglicæ amiserit. Imò Regina ipsa, cum ipsius electionem suffragio suo approbaret, tacitè visa est abdicare seipsam omni iure Regiæ potestatis in illum, & subditum suum à se manumittere (quemadmodum olim Domini ius dominii exuebant cum seruos suos donarent libertate) vt deinceps pro ipsius cliente iure subiecto haberi desineret.

Cæterùm tametsi iuris & legum seueritas Stuardam capite multet, valebit tamen ad mouendam misericordiam in animo Reginæ Angliæ, propinquitas & respectus sanguinis: tum exempla Dauidis erga filium Absolomum, Caroli v. in Philippum Regem Nauarrenum, Regis Ioannis in Carolum Regem item Nauarrenum: proponetur lenitas mitium Imperatorum, qui cum insidias in caput suum comparatas deprehendissent, tamen coniuratis ignouerunt: monebitur vt ex seipsa exemplum capiat, neve clementiæ laudem, quam apud omnes insignem suo merito consecuta est, iam noua sæuitiæ fama contaminet: subiicietur oculis Regiæ Maiestatis decor, qui conspicuus aliquando in Stuarda extitit, cum Scotiæ & Franciæ vetustissimorum in terris regnorum Regina fulgeret: iam verò miserabilis facies paulo ante Reginæ, nunc supplicio destinatæ & traditæ carnifici, cui non eliciat lachrymas? quis erit tam ferreus, cuius misericordiam non moueat?

Diuturna quidem ipsius captiuitas, & graues ærumnæ tolleratæ per tot annos, vltimum supplicium deprecantur, vt satis pœnarum dedisse videatur vel sæuissimis quibusque ipsius inimicis. Postremò aliqua etiam habebitur ratio adolescentis filii, cuius honos ab honore matris secerni non potest: neque credibile est, sit in eo aliquid generosæ indolis & Regii spiritus, vt dedecus matri ab Anglis oblatum, ad se pertinere non putet & inultum relinquat. Itaq; quanquã scelus matris pœna dignũ sit, honos tamen & miseratio innocentis filii

ſupplicium & dedecus maternum deprecabitur.

Præter hæc quæ de iudicio & miſericordia dixi, afferentur etiam nonnulla quæ ad vtilitatem & quietē Regni pertineant: fore videlicet, vt vicini Reges & Principes confœderati ipſius iniurias vlciſcantur, & ea tanquam legitima cauſa vel occaſione opportuna vtantur, vt bellum inferant Angliæ. Gratioſam & fauorabilem eſſe captarum Principum afflictorum: neque vllum magis ſpecioſum titulum eſſe Principibus inuadendi aliena. Regem quidem Scotiæ certum eſt, niſi prorſus obliuiſcatur ſe filium eſſe, graues inimicitias in Anglos ſuſcepturum propter matrem indignē habitam: atque vt ea ſublata Regnum ſibi ſtabilitum exiſtimet, tamē quemadmodum Dauid filii ſui Abſalomi qui aduerſus ipſius caput & Maieſtatem coniurauerat, interfectorem viuere non eſt paſſus, ita hic ſupplicium matris ratus in ſuum dedecus verti, armis vlciſci volet. Ita vtriuſque Regni pax & concordia dirimetur, & inde odia naſcentur maxima & ſempiterna. Iam tibi ex iis quæ dixi æſtimare licet, num eæ rationes & circunſtantiæ tanti ſint momenti, vt Reginam Scotiæ poſſint eximere iuſto coniuratorum & perduellium ſupplicio.

Polit. Rationes quidem tuæ ſatis habent ſpeciei & coloris vt perſtringant oculos eorum qui alti cauſæ ſtudet quam tu tibi defendendam ſumpſiſti: non tamen ſatis virium & neruorum vt ſubuertant homines ſano iudicio & integra conſcientia præditos, quominus ſemper iudicem cauſam eam iuci patrocinor vtilitate & iuſtitia vincere. Sed tu me viciſſim, ſi vacat, de iſta re dicentem audies.

Prima cauſa quæ abs te allata eſt: Reginam videlicet Scotiæ iudicio Reginæ Angliæ obnoxiam non eſſe, quippe pari poteſtate in Regno ſuo vtentem, ita demum locum habet, ſi in Scotia ſit, aut ſi de eo facinore agatur, quod in Regno ſuo admiſerit. Nam eo caſu Regina Angliæ de ipſius factis cognitionem ſibi ſumere nullo pacto poteſt, niſi forte ab illa oppugnaretur Chriſti regnum.

Quod

Quod cum longè latéque diffusum sit neque vllis circumscriptum limitibus, ab omnibus orbis terrarum Principibus iure defendi ac propugnari potest ac debet. Ob eam inquam, causam potest à quouis Principe aduersus Principem Ecclesiá Dei oppugnantem iustum bellum suscipi. Quod quidem strenuè à Constantino factum legimus, qui Licinium vi & armis coegit vt Christianos, quos in suæ ditionis Prouinciis vexabat, quietos sineret. Sed cui id perspicuum non est Reginam Scotiæ propter illud facinus, quod in Anglia ausa est, posse subiici iudicio Reginæ Angliæ? Regum enim principatus & suprema potestas locum habet in ipsorum Regnis & ditionibus. Verùm simulátque in alienæ ditionis imperiũ venerunt, amittunt omne ius supremæ potestatis: atque vt illi amici sint, aut propinqua cognatione coniuncti, & in eos cæteri honores largiter effundantur, nunquam tamen admittuntur ad supremum istum imperandi gradum. Insociabilis enim est Regni potestas & suspicionis plena. Itaque hæc iura & argumenta quæ pro Regina Scotiæ proferuntur, aduersus ipsam faciunt. Nam si propterea quod Regina est neque cuiquã inferior in Regno suo, statuit se à nemine posse nec debere violari: cur ipsa coniurauit aduersus Reginam Angliæ & ipsius statum, & in ipsis quidem Angliæ finibus? Itaque quantum uis illa venerandam & sacrosanctam Regum Maiestatem verbis extollat, nihilo magis eam iuuat, quam siquis priuilegium quod violasset apud eum proferret, in quem priuilegio esset abusus. Sic orator Crassus olim Philippo consuli. Quando, inquit, ego tibi Senator & consularis non sum, tu mihi etiam Consul non es. Neque libet hoc loco in contẽtionem adducere, vtrum par sit, an inferior & subalterna, vt vocãt, Reginæ Angliæ Regina, an Regno abdicata: quanquam mihi dubium non est publico Ordinum Concilio potuisse à Regni gubernaculis remoueri. Verùm fingamus extrà omnem controuersiam Reginam esse & libere rerum potiri: tamen quando conata est in aliena ditione Reginæ

propinquæ vitam & imperium eripere, num poteſt, ei merito iſtud obijci? Cur tu æquum cenſes me habere rationem dignitatis tuæ, qua tu extra fines meos vteris, cum tu meæ in meo ipſius regno non habeas?

Ac niſi liceret Regibus de eiuſmodi ſceleribus quæſtionem habere, eorumque ſupplicium expetere à peregrinis Principibus, deterior eſſet innocentium conditio, quàm malorum & ſontiũ: liceret nempe cuilibet ſtruere impune inſidias Principibus, illis vero non idẽ ius, neque fieret ſui defendendi copia iure ac legibus. Iuſtius quidem videtur Rex inſidias ab externo Principe in ſalutem & dignitatem ſuam comparatas iuſta pœna poſſe perſequi, quàm ſi reus Principem & Iudicem habeat. Poteſt enim id flagitari à Rege, vt ius experiatur, & reum apud Iudicem poſtulet: ne idem in propria cauſa iudex atque actor exiſtat. Sed vbi Iudex ferri non poteſt, neque legum terror iniici, neceſſe eſt Principes aut iniurias ſuas per ſe vltum ire, aut non pari cum infimis iure ac conditione viuere, ſed multo deteriori: quippe non poterunt Principes penuria iudicis, ipſi cognita cauſa ius atque iniuriam diſcernere: cũ liceat etiã per leges ſubditis vbi iudicis copiã nõ eſt, de iis, à quibus læſi ſunt per ſeipſos pœnas ſumere.

Cæterum legatos, quemadmodũ dixiſti, fateor ſacroſanctos eſſe iure gentium, quãdiu ſeſe intra terminos muneris ſui continent: quos ſimulatque tranſgreſſi ſunt, deſinunt haberi pro ſanctis. Romani cladem & ruinam captæ vrbis tribuerũt temeritati Q. Fabii, qui in Gallos ad quos orator miſſus eſſet, contra ius gẽtium pugnauerat. Nam cum legati à Gallis Romam miſſi eſſent queſtũ iniurias, poſtularũmque vt pro iure gentiũ violato Fabius dederetur, Fœciales quoque ipſi ſignificarẽt inſtare iram deũm niſi ita fieret, Fabii tamen apud populum gratia & opes tantum valuerũt vt etiam vltrò honos illi & cæteris legatis haberetur. Vnde tam grauis clades conſecuta eſt, vt Imperii & captæ vrbis nihil ſupereſſet præter arcẽ. Demades Athenienſium legatus cum literas ad Antigonũ ſcripſiſſet,

pfisset, quibus eum ad Macedoniam tentandam & Imperium Græciæ occupandũm hortabatur, vt à vetere & putri filo pendens, à Cassandro Antipatri filio tanquã proditor interfectus est. Legati Regis Persarum, cum apud Amyntãm regem Macedonum regio apparatu excepti essent, & postquam vino incaluerant, ipsius pellices in conuiuium inductas, licentius contrectarent summissis in muliebri veste adolescentibus ab Alexandro Amyntæ filio, jugulati sunt. Antonius Thyreum libertum Cæsaris loris cædi iussit, quod nimiũ superbè sese gereret & ipsius fortunam despicere videretur. Senatui verò cùm placuit minimè violari Tarquiniorum legatos, tametsi aduersus remp. cõiurassent, in eo ius gentiũ valuit, propterea quod cum id agerent domini sui mandata exequerẽtur. Sed de Tarquinio ipso, quod potuerũt supplicium sumpsere: nam de bonis regiis quæ reddenda ante cẽsuerant, res integra ad patres relata est. Illi cõiuratione patefactavetuere reddi, vetuere in publicum redigi, sed dederunt diripiẽda plebi. Itaque non continuò verum est, quicquid licet legato id licere ei à quo missus est. Neque enim legati sacrosancti habẽtur, propterea quod principũ quorum missu veniũt personam & auctoritatem sustinent: imò contrà legati, quanquam ab illis mittantur quos maxime lædi & violari fas est, sancti tamen cẽsentur: at ipsi domini & Principes, quorum imperio parent hostium loco sunt, vt si in manus inciderint hostili more tractentur. Priuilegium enim legatorum iure gentiũ nititur, vt si eiusmodi personis non præstetur securitas & immunitas ab iniuria hostili, confundantur omnia iura commercii & societatis humanæ: eorúmque magnopere interest ad quos mittuntur, prouidere ne qua contumelia violentur, ne scilicet eodem exẽplo peccetur in suos. Adhunc modum Hannoni Carthaginlegato à Romanis respõsum est. Indignos esse Carthaginquibus seruaretur fides, quam ipsorũ legatis non seruassent. Sed spectabant illi publicã fidem, neque iustum censebant ministrum & legatum domini fraudem lucre,

Præterea quædam sæpe incidunt, quæ si à dominis, patribus, matribus admissa sint, pœna afficiantur: eadem tamen à seruis, fratribus, filiis & coniugibus facta non modo excusationem, verumetiam laudem mereantur, propter officium & fidem. Plena est historia exemplis seruorum, qui percussores in semet verterunt, vt dominis effugium darent, quanquam reis & meritò damnatis. Et laudatur etiam hodie in seruis, quod in dominis duplici pœna dignum esset.

Altera circunstantia, quã in defensione Reginæ Scotiæ posuisti: illã videlicet in Angliam perfugisse, ac proinde non posse damnari absque nota perfidiæ, illi quoque aduersatur. Tantò enim grauiorem pœnam meretur ipsius ingratitudo, cum eam ipsam, in qua vitæ suæ subsidium inuenerat vita spoliare conata sit.

Ac si merito execrabiles sunt, qui erga Principes calamitosos, ius hospitii violarunt: quantò magis ex hominum communitate exterminandi sunt, qui perfidia in Principes vruntur, à quibus sunt recepti? Sola receptio Stuardæ pro fide valeat, vt si violetur ea cui tuta sedes concessa est, videatur falli iusiurandum & fides: sed quàm detestabilis fuit perfidia, eam velle tollere à qua in fidem accepta erat?

Cleomenes Lacedæmoniorum Rex Antigonum fugiens cum ad Ptolemæum Aegypti regem perfugisset, & ab eo omni officio & humanitate esset cultus, in ipsius filium cum aliquot amicis coniurauit, & cum cœpta non procederent, sibi ipsi conscisit mortem. Quod postquam Ptolemæo nuntiatum, corpus Cleomenis iussit, excoriatum in crucem agi, necarique insuper liberos eius, matrem & comites ipsius fœminas. Constantinus qui Magni cognomen meruit, Maximianum sæuitiæ Maxentii filii elapsum texerat & defenderat, sed cum ab eo structas sibi insidias intelligeret, anteuertit insidiatorem.

Verùm

Verùm enimuero quis tam fœdæ perfidiæ defensionem suscipiat? quis impunitatem huic sceleri statuat? nisi qui simul omnia vitæ communis officia & iura societatis humanæ conuellere tentabit? Constat certe nihil magis pestiferum esse & noxium Principibus, cùm iis qui calamitosos excipiunt, tum illis qui coguntur sæuiente fortuna supplices apud alios tutas sedes & perfugia quærere.

Sequitur postrema defensionis tuæ pars in qua eo argumento vsus es, Reginam Scotiæ diu captiuam & tristi custodia circundatam, secus quam Regiam maiestatem deceat, posse omnes libertatis vias, omnes euadendi rationes moliri. Huic opinioni alioquin veræ commoda interpretatio adiungenda est. Nimirum non posse perfidiæ accusari in eo, cui libera custodia concessa non est, si omni ratione moliatur exitum. Nam ita intelligere, vt non liceat de captiuo supplicium sumere, qui facinus patrauerit erumpendi causa, quid esset hoc aliud, nisi cõcedere captiuis omnem peccandi licentiam, impunitate proposita?

Sed nulla ratio est, ad ipsius causam magis accommodata, quàm quod contendit se iniuria & absque vlla legitima causa, in custodia haberi: ac proinde si conata sit iniurias, quas sibi à Regina Angliæ inferri putat, bello persequi, nihil se nouum in eo fecisse, & quod non alii Principes soleant, qui vim vi, si possunt, repellunt, & ius suum non legibus sed armis & gladio vindicant: quemadmodum ab illo duce Austriæ de quo, paulò ante egisti, aduersus Hungariæ Regem factum est.

Verùm ad hanc obiectionem facilis & expedita responsio est. Nam Regina Angliæ ita ius suum Principibus Christianis probauit, vt iam omnibus perspicuum sit, licuisse illi cùm legibus & fœderibus vtriusque regni Angliæ & Scotiæ, tum veteri instituto à superioribus Regibus vsque obseruato Scotiæ Reginam retinere, neque posse à se nunc illam liberam dimitti, quin vim faciat

maiorum legibus, & Regni sui statum in certum periculum adducat. Atque vt antea Regina Scotiæ iure potuerit conqueri se per iniuriam detineri: tamen postea quam huius coniurationis caput extitit, iam erepta est illi tota ista defensio, quemadmodum vsuenit iis, qui cum suũ ius malis artibus & illicitis modis persequuntur, bonam causam malam reddunt.

Pompeius, Cato, & Senatus Romanus iniuriam faciebant Cæsari, cum triumphum denegarent, tot victoriis partum: attamen quia nefariè aduersus patriam conspirando illum ambiebat, nemo dubitat quin ex iusta sua causa malam fecerit. Imo quotquot coniurant, nunquam sine aliqua specie causæ tantum facinus aggrediuntur: alios iniuria accepta, alios spes ex rebus nouis, alios aliæ causæ stimulant: neque propterea tamen insontes iudicantur. Testes sunt permulti in hanc partem, sed vno exemplo contenti erimus.

Nemo ignorat quàm impotenter ac tyrannicè Regina ipsa Angliæ à sorore, quam nullo facto aut dicto offenderat, in vinculis habita sit, quoties periculum capitis adierit. Nunquam tamen consilia sororis tollendæ iniuit: nunquam agitauit animo quomodo illam fede patria euolueret: quod si fecisset iure poterat damnari, tametsi iniuriam sibi factam, & ius successionis, & alia velamenta prætexeret. Itaque Deus iustos ipsius gemitus audiit, & tandem iniusta vincula vindice manu vltus est.

Verùm si Regina Scotiæ nihil grauius esset molita, quàm vt libertatem suam reciperet, veniam posset mereri. Sed quando consilia iniit occupandi Regni, & struxit Reginæ insidias, hanc scilicet illi gratiam retulit pro tot acceptis beneficiis! Habuit Regina Angliæ haud dubiè & vitam & statum illius in potestate: ac quanquam posset Scotia ciuilibus bellis & intestinis dissidiis lacerata nullo negotio potiri, ipsius tamen inuadendæ nunquam struxit causas aut arripuit oblatas: ac ne ipsam quidem Reginam supplicem & profugam dedere voluit

Scotis, qui de ipsa statui volebant in publico Ordinum Concilio: insuper etiam conata componere ciuiles motus, & ipsius filio Regnum ad puberem ætatem incolume seruare. Illa verò longè diuersam gratiam refert.

Quæ deinde adducuntur, vt Angliæ Reginam Stuardæ placabilem reddant, diligenti etiam consideratione & accurato iudicio egent. Nam omnis quidem animaduersio & castigatio clementia condiri, iracundia verò & crudelitate vacare debet. Et tamen ita probanda est in vnius pœna mansuetudo atque clementia, vt non admittatur iniustitia pernicioſa multis. Nam populum, nobilitatem, tot illustres familias, quibus ista conspiratio, pestem, exilium, calamitatem afferebat, & quæ autorem & caput coniurationis ad pœnam flagitant negligere, vt in vno Regia clementia consumatur, ea demum non tãtum periculosa socordia, sed crudelis quædam misericordia vocanda est. Extiterunt aliquot Imperatores, qui insidias in se comparatas condonarent. Vespasianus verò etiam spernebat: quippe persuasum habebat, sibi probè compertum esse diem, horam & genus exitus sui. Sed ciusmodi exempla ad sequendum nimium quasi lubrica sunt & periculosa: & quibus inest plus temeritatis quam clementiæ.

Verumtamen in hac causa consideratio quædam & circunstantia tanti momenti insita est, quanti in nullo alio exemplo potest existere: quæ Reginam clementia vti prohibet cum manifesto Dei contemptu coniuncta. Neque enim hic coniuratio leuis in iudicium vocatur, quæ Regni tantum & rerum mutationem afferret: sed quæ Religionis statum prorsus inuerteret; qua in re tametsi Principes in suo dolore lenti ac leues esse velint, populique sibi à Deo commissi salutem quietémque negligere, non possunt tamen iniurias Dei largiri, & pro arbitrio scelera quæ ad interitum Regni ipsius spectant tanquam leuia remittere, nisi pro alienis peccatis caput suum volent obiicere.

Quis enim tam cæcus est vt apertè non videat, si Stuardæ conatus ad irritum non cecidissent, horrendam Religionis euersionē tota Anglia fuisse consecuturam? quod perspicuè indicant Regis Hispani & Albani Ducis cum Pōtifice consociata cōsilia. Proinde sibi proponat Regina Angliæ miserabilem casum Saulis: qui cum Agago Amalecitarum Regi iurato populi Dei hosti peperciſſet, propter intempestiuam istam clementiam à Deo repudiatus est, regnúmque ipsius in alteram stirpem translatum. Achabo denuntiata est mors à Prophēta Dei iussu, propterea quod Benadabo Diuinæ potentiæ contempto, tunc quidem victo & supplici vitam concesserat. Quippe vult Deus mortales in iniuriis suis remittendis esse clementes, in ipsius contumeliis persequendis seueros. Sacra quidem historia (in qua non vt in profana ex signis & coniecturis quasi vestigiis Dei iudicia deprehenduntur, sed quasi perlucentia in speculo cernuntur) plures Regum pœnas commemorat, quos Deus ob inanem clementiæ speciem cum ipsius probro coniunctam deiecit, quàm eorum qui in nimiam seueritatem lapsi sunt. Celebratur Salomonis in pœnis statuendis heroica magnanimitas. Saul & Achab ignominia & morte damnantur, quod singulis Principibus necis gratiam fecerint. Iosue contra quòd triginta & vnum Reges captos animosè obtruncarit, laudatur. Nihil profecto laudabilius, nihil Principe bono dignius placabilitate atque clementia, sed Religionis zelus semper debet anteponi clementiæ.

Iam suadentibus periculosum esse de Regina Scotiæ supplicium, quanquam iustum, sumere, & formidinem Reginæ mouentibus, ne inde à vicinis Regibus motus & bella ingruant, sic respondeo: Reginæ frequentiam vsu cognitum, non, si à Stuarda supplicium abstineat, iccircò quieturos vicinos: imò non alia re magis animum illis auctum, & spem factam rerum in Anglia nouandarum, quam quod illi ad eam diem vsuram vitæ concesserit: neque ab alio initio superiores motus in Anglia

glia esse ortos, quàm quod speratum sit Stuardam posse huic regno imponi.

Deinde Principes, qui morte ipsius mouerentur, iam esse excitatos, siue ob ipsius custodiã, seu specie Religionis, seu, quod verius est, quia regni Angliæ opes mirãtur: prædam esse obuiã, & quæ minimo labore fœminæ possit eripi non sua vi, non externa potentia nixæ: formidinẽ quidem & mollitiẽ animi in ea tantam esse vt animaduertere in seditiosos & cõiuratos non audeat, sed clementiã vocari. Itaque metuendum non est, ne coniurationis pœna adiungat aliquid huic libidini, sed ne impunitate alantur ipsorum conatus. Neque Reginã Scotiæ Rex Hispanus, Dux Albanus, aut Põtifex tam propinqua cognatione aut tanta necessitudine contingunt, vt ob eã aduersus Angliæ Reginã inimicitias suscipere velint aut arma capere: odium, inuidia, ambitio transuersos agunt: dolent Regnũ illud inter circumstrepentia bella & miserias vicinorum tam alta pace & quiete frui. Sed Pontificẽ propriæ etiam causæ accendunt: Angliam & Scotiam opulentas, & sibi vectigales prouincias e faucibus ereptas luget: dolet reditus suos intercipi: autoritatem vilem haberi: cuius recuperandæ nullam aut exiguam esse spem. Cæterũ vt specioso aliquo velo cupiditates illæ, & secreti dolores tegantur, Regina Scotiæ vtuntur tanquã plausibili argumento oblato, ad motus concitandos: ea verò sublata non odia quidem nec studia concident, sed aberunt irritamenta & instrumenta nocendi: quorũ illud longè validissimum, quod illi existimant Reginã Scotiæ Angliæ Regum stirpi annexam & ætate integra non minus regnum illud habere iure cognationis, quam ætatis curriculo sperare posse.

Quæ consideratio multorum animos in varia versat: quippe Religionis ac Reginæ iuxta inimici dum spe arrecti res nouas & imminentis Dominæ Principatum spectant, attollunt animos: contra Reginæ fideles ministri metu torpere, & circumspectare inter se attoniti

atque anxii dum propinquam ruinam præuident: exteri Principes Reginæ Angliæ societatem aspernari, ne successoris odium sibi contrahant. Denique vt est in veteri prouerbio, Occidentem à plerisque deseri, atque Orientem spectari, rari in eum parietem inclinant, qui non sit duraturus: gratiamque acrius eius fouent, quem sperant diutius profuturum. Quæ quidem cogitatio cum non tantum studia voluntatum, sed factiones partium etiam moueat, non mediocriter labefactat res Angliæ: sed huic malo à Regina præsenti & facili remedio succurri potest, si destinata ista hærede amota, successorem ipsa sibi deligat, rebus parem & spectatæ virtutis.

Indignabitur verò scilicet, olim Rex Scotorum puer, & hærebit ipsius animo tantæ iniuriæ memoria, neque inultum matris supplicium sinet. At prius multóque iustius, opinor, meminerit patrem per nefarium scelus & detestandam perfidiâ à matre interfectum, neque aliter expiari potuisse melius parricidium illud, quâ supplicio matris. Deinde non tanti est remotus iste & valde incertus futurorum metus, quid videlicet facturus sit puer posteaquam adoleuerit, vt certo & præsenti periculo anteponi debeat: neque potest conferri externi belli formido, cum discrimine insidiarum & coniurationis intestinæ.

Dictum antea nobis est, omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debere, an id quod proponitur iustum sit, atque vtile Reipublicæ: nam cætera quæ spectantur, clementia, liberalitas, magnitudo animi, ad publicam vtilitatem referenda sunt, eique quasi subseruire debent. Sed aliquod tertium genus est, cui cæteræ etiam cedunt, necessitas nimirum publica, quæ diuinis quoque ceremoniis nonnunquam anteponenda est. Machabæorum temporibus qui die septimo hostium vim repellere & pugnare nefas duxerunt, documentum præbuerunt posteris, sacros etiam

ritus

ritus necessitati subiici debere.

Apud veteres Romanos sæpenumero ipsa Religio & leges ciuiles necessitati paruerunt; neque vlla lex potest esse sanctior aut Reipublicæ magis salutaris quàm ipsa salus populi: cuius tanta vis est, vt quæ natura illicita erant, commutentur, fiantque contraria. Quamobrem si ei leges cedant, si omnia iura diuina & humana seruiunt, quantò magis debebit obsequi libera quædam lenitas & voluntaria clementia, quæ haud dubiè Regni & status perniciem trahit. Necessitatem verò & salutem publicam hic agi, ex superioribus æstimari potest.

Superest igitur tantùm vt manifestum facinus, sic teneatur manu, vt negari non possit: & ad iudicium afferatur integri, non præoccupati gratia vel odio animi: tum criminis veritate comperta, subeat miseratio rei, sed quæ affectus iudicum non perrumpat. Nam quemadmodum priuata odia publicis commodis obesse non debent, sic priuata beneuolentia, expellenda non est de animo Principis patriæ charitas & cura populi, cuius imprimis saluti consulere debet: ac multò etiam minus extrudendus zelus & studium tuendi & amplificandi regni Dei.

Ac si Princeps, qui vel vni subditorum & popularium leges inuocanti ius denegauerit, reus apud Deum tenetur, quomodo insons erit, qui omnibus simul denegat? iis præsertim quibus pericula & mortes ista coniuratione struebantur, quos quidem totius regni nobilissimos esse audio. Dignos certè præclaris in Reginam meritis qui ab ea impetrent, quod vel infimo cuique ciui debeat, ne videlicet insidiæ capiti & fortunis suis comparatæ inultæ & impunitæ abeant: quippe certissimo omnium periculo, qui coniurationem & insidias aperuerunt Reginæ, si reæ supplicii gratiam fecerit. Verùm ne illud quidem eorum tantum periculo, qui sibi nocuerunt vt illi consulerent, sed pessimo etiam exemplo factura est.

Nam si qua forte aliquando similis cõturatio extiterit (etenim res eo loco sitæ sunt, vt serpere latius mali cõtagio & plures futuræ videãtur) nemo reperietur qui audeat delationem subire, malent omnes indiciũ premere, quàm curam tanti periculi, sibi & posteris pernicioſam suscipere. Neque longius exempla quærenda sunt. Quis Regem Scotorum poltremum, destitutum à suis, opportunũ insidiis & sæuitiæ inimicorum reddidit? nisi quod salubrem amicorum de se curam & solicitudinem contempsit, quipleraque aperiendo, quæ ad illius salutem & dignitatem pertinerẽt, non obscura Reginæ & ministrorũ libidinum ipsius odia contrahebant: maluítque vltrò indicia eludens subdolæ vxoris & inimicorum spiritus commotos lenire, quam suæ & fidelium amicorum incolumitati cõsulere. Itaque nemo deinceps extitit qui similibus officiis erga ipsum defungi vellet, ne tum quidem, cum maximè opus erat. Rara enim profecto, & eximia quædam est fides quæ ancipiti periculo ab officio non deterretur: vt cum indici & sceleris alicuius gnaro duo euentura proponuntur: Vnum, fore vt is quem accuset, aliquando in se & sua omnia, ius omne ac summam potestatem habeat: alterum, tametsi verum indicium peregerit, conuicta tamen crimina reo noxæ non futura.

Si coniurati & rei persona humilis aut infamis esset, cuius inimicitias nemo magnopere sibi metuendas putaret, videretur ista lenitas nullius perniciem secum trahere, sed exemplum publicum duntaxat frustrari. Verùm cum ad nullum propius Regni hæreditas spectet, quàm ad eam ipsam, cuius insidias aperuerunt, nihil certius exploratiúsve habeant, qui coniurationis indicium detulere, quàm de se, & de fortunis suis omnibus actum esse, si forte contigerit Reginam Scotiæ in Anglia rerum potiri.

Potrò quanquam spes est eos qui sedulum & fidele obsequium Reginæ præstiterunt in proditione detegenda, quæcunque pericula proponantur, ad extremum perseueraturos

raturos: nihil tamen pernicioſius Principi, quam ſi fideliſſimos quoſque amicos & miniſtros in apertam deſperationem coniiciat, vt eripiat pœnæ reum vltima exempla meritum. Quoties quidem ius & auxilium legum denegatum eſt à Principibus, iis præſertim qui apud ipſos authoritate & gratia valerent, pernicioſum id denegantibus fuiſſe multa exempla demonſtrant. Philippum Macedoniæ Regem Pauſanias, quod iniuriam ſibi illatam vlciſci nollet, interfecit. Ipſi Macedones exuerunt omne obſequium in Demetrium Regem, propterea quod iuri reddendo ob inſitam ſuperbiam vacare nollet. Itaque nullum deterius & minus ſalutare conſilium à Principe ſuſcipi poteſt, quàm ſi ſubditos & miniſtros ſuos auxilii egentes ab ſe repellat, cogatque aliunde opem ſibi & ſubſidium quærere.

Qui verò iudicia hominum de hac pœna & opiniones intuentur, mouentur illi quidem re admodum fluxa, & leui. Multo melius Fabius Maximus, qui rumores ante ſalutem non ponebat: ac certè qui multitudinis iudicio feruntur non admodũ rectam vitæ ſequuntur viã. Monebat præſtantiſſimus Imperator Antoninus Procõſules, qui ad prouincias regendas ibant, ne affectarent in iure dicendo ſeueritatis aut clementiæ famam. Vtrunque enim affectum à recta iuſtitiæ ſemita deflectere.

Iam qui integris & nullo affectu præoccupatis animis de hac cauſa iudicium ferent, ſtatuent omnino Angliæ iuſtiſſimam ac ſapientiſſimam Reginam eſſe, neque alia ratione magis ad neceſſariam ſeueritatem induci quã cura populi, & zelo propagãdæ Religionis. Qui verò non æquitate & ratione ad iudicãdũ, ſed affectu proprio & impetu animi ducentur, indigni ſunt quorũ ratio habeatur, cum rationem ipſam de ſententia ſua expellãt.

Ad ſummam, vbi plane conſtiterit Reginam Scotiæ iſtius coniurationis ream ac conuictam teneri, de ipſa ſupplicium ſumere nihil ambigi debet quin iuſtiſſimum ſit, omnibuſque diuinis & humanis legibus licitũ, perũtile,

imò quàm maximè necessarium, cùm ad salutem Reginæ tum ad incolumitatem status Angliæ. Impunitatem verò infinita sequuntur incommoda: denegatur iusta vltio ac pœna flagitantibus subditis, negligitur salus populi &, (quod longè grauius est) deseritur & perfidè abiicitur Ecclesiæ Dei defensio. Deo nunquam deerunt rationes & adminicula quibus electum populum seruet & illustret Regnum suum: sed væ Pastori qui lupum inter oues coalescere passus erit: væ agricolæ qui aprum è vinea Domini non extruserit.

Ac quemadmodum inquit Ezechiel cap. 33. Si is qui in excubiis aut specula collocatus est, sonum aduentantium hostium auribus acceperit, neque tuba significauerit, siqui oppressi & incauti pereant, sanguis eorum reposcetur è manu speculatoris. Neque iuuat ita dicere, Periculum procul abest à nobis, ista post mortem Reginæ forte accident, Dominus illam nobis incolumē diu propitius volénsque conseruet.

Et cui pio hæc non sunt ardentibus vobis optanda? Sed fuit olim in ore veteris populi simile prouerbium: in quod seuerè inuehitur idem Propheta: Dixistis, inquit, Prophetia: Prolongabuntur dies, & peribit omnis visio? Visio quam hic vidit est ad dies multos, & in tempora longa iste prophetat. Propterea sic dixit Dominus Iehouah, non protrahetur vltra omne verbum meum: quod loquar verbum, fiet, dixit Dominus Iehouah. Sed male augurari nolumus, Deus potius auertat istud malum, quod quidem se velle satis apertè significat, cum rationes amoliendi periculi iustas, honestas, vtiles, necessarias, faciles & obuias proponat. Amen.

Hæc habui quæ de ea causa dicerem, quantum quidem necesse erat ad explicandos huius quæstionis obscuros & inuolutos nexus. Nunc tuum est, si ita videtur, vt proceribus tibi notis disputationis nostræ præcipua capita significes: ne quid prohibeat quominus iustis postulatis, & clamore surdas aures fatigent, donec à Regina

reæ damnatæ & nouiſſima exempla meritæ ſupplicium impetrent.

Hiſtoriog. Imò vero de hac re tota grauis & prudens oratio tua ita me affecit, ita in animum meum influxit, & tanta cupido inceſſit ſententiæ huius tuæ ſicuti à te perſpicuè & ornatè expoſita eſt, cũ ſtudioſis boni publici Anglix & Eccleſiæ Dei communicandæ, cuius rei magnam facultatem habeo, vt nullo præmio velim hanc horam nobis aliis ſermonibus eſſe conſumptam. Nunc quidem multò alacrius ad narrandũ profectionis meæ ſucceſſum accingor.

Polit. Aggredere ſodes, Sed ita vt quam minimùm ab inſtituto ſermone deflectas. Mihi enim omnis vel parua mora longa eſt, dum expecto quam mox ex te audiam, vt tibi quæque per Dei gratiam ſecunda obuenerint.

Hiſt. Secus eſt quam putas. Hoc tibi poſſum dicere multam à me operam, ſed prope fruſtra collocatam eſſe. Paucis ſumma quæque expediam, Singularia verò omnia & minuta, Eccleſiæ à qua miſſi ſumus, narranda reſeruabo. Ergo ſic habeto. Poſteaquam diuerſi alter ab altero diſceſſimus, tantùm itineribus cõtendi, vt omnes prope Principum Proteſtantium aulas adierim. Electorem Palatinum, Ducem Saxoniæ Auguſtum, Marchionem Brandeburgenſem, Lantgrauios Heſſiæ, Ducem Vvittembergenſem, Marchionem Badenſem adii (eos tibi non pro ipſorum gradu & faſtigio, recenſeo, ſed prout memoriæ occurrunt) præterea conueni Pruſſiæ, Mekelburgenſem, & Iulium Brunſuicẽſem Duces, Principem Anhaldium, Ducem Luneburgenſem, Pomeraniæ Duces, Oldemburgenſem, Hãsbaccenſem Comites, Archiepiſcopũ Magdeburgenſem, Sueuiæ & Daniæ Reges, Oſtaniæ Duces, & Emdenſes Comites.

Inſuper cum præcipuarũ Germaniæ ciuitatum principibus publicè & priuatim collocutus ſum, & verã linguis Tragœdiæ Pariſienſis hiſtoriam expoſui: cúmque ibi experiſſem nõnullos, ad quos iã huius cladis fama peruc-

nerat (emiserat quippe Carolus è sinu suo emissarios quosdam & clientes, qui anima Diabolo mancipata propter honorem Regis sui, conarentur persuadere ab agno innocenti commotam esse aquam : nullius tamen Principum tam incauta fuit simplicitas, vt dictis ad fallendum instructis adhiberet fidem) sed tamen cum inistos incidissem, vanitate detecta, omnem Caroli & ipsius satellitum perfidiam, ipsorum destinata & fallaces conatus, quantùm dicendo assequi potui, aperui : tum deinde orationem flexi ad calamitates Ecclesiæ Gallicæ commemorandas, & auxilii necessitatem, ipsorum fidem & opem imploraui, officiique & partium in ea causa suscipienda suarum seriò eos admonui, adiecta mentione vtilitatis, quã labor iste susceptus pareret, & incommodorũ quæ sequerentur neglectum.

Adiunxi ad has obtestationes, quæ à Daniele edicta & pronuntiata fuerant: Postremo orationem meam Scripturæ & Doctorum testimoniis, exemplisque veteribus & nouis, domesticis & externis firmaui: obiter etiã, cum res ferebat, fabellas aliquot lepidas aspergẽs & ad institutum meum accõmodatas: sed non ad aliã magis attendere visi sunt, quàm ad Apologum Mercatoris.

Polit. Quem Apologum dicas, non satis capio: sed libẽter, si vacat, quid tandem illud sit, ex te audiuero.

Histor. Verò audies, quanquam tibi non ignotum arbitrabar, vt vulgarem, sed ad hoc argumentum satis appositum: Fuit igitur olim Mercator quidam, qui cũ mercibus conuehẽdis quæstum faceret, imponebat asino merces & sarcinas, ipse insidens equo satis generoso & forti. Forte aliquãdo contigit, vt mercatu in oppidum rediens, asellum solito grauius oneraret: iuberetque vtrunque præire, & aliquantulum progredi, ipse in soluẽdo portorio occupatus: miser asellus quãquam grauius onustus quam vellet: tamen trahere onus & eniti quantum poterat, quandiu solum vestigii patiens fuit. Difficile forte iter & impeditum imbres nocturni fecerant.

Itaque

Itaque cum ad locum quendam vliginosum peruenis-
sent, vbi non tantum illi cum onere, verumetiam cum
luto luctandum erat, quod prælatum & vestigio hærens
ægrè moliebantur pedes, tum conditionem suam mise-
ram deflere: supplex equum orare vt sibi fesso de via suc-
curreret, leuarétque vel minima parte oneris.

Cui equus otio, & nimia libertate luxurians, respon-
disse fertur ridens, Sibi consuetum generosi equi, non vi
lis asini munia implere: quæreret alium oneris & indigni
laboris participem: sibi ephippium & phaleras, non cli-
tellas imponi. Asinum omni ope destitutum, & eluctan-
tem, vires & corpus destituére. Verùm Mercator qui
mercium suarum iacturam facere nollet, omnia onera,
clitellas, insuperque asini pellem equo imponit. Equus
vero demum malo domitus serò intempestiuum risum
suum & duritiem damnare, asini fato ingemere & infor-
tunio suo cœpit.

Polit. Lepida profectò fabula & huic argumento mi-
rificè congruens. Merenti equidem ista crudeli equo eue
nerunt, qui more Gallorum quorundam nollet nisi ictus
sapere.

Hist. Ille quidem agnoscebat culpam, sed serò. Verùm
vt eò, vnde eram digressus, reuertar, mirum quantùm
placuerit Apologus bonis illis Principibus. neque dubi-
tabant de se narrari, & ad se pertinere fabulam. Perrexi
tamen, & ordine exposui quæ à Daniele præscripta erat,
vt alii cum aliis, & nobiscum in vnum corpus coale-
scerent & sociarent consilia: multáque enumeraui humi
lia & parua, quæ concordia creuissent, multa contrà ma-
gna & ingentia quæ discordia dissoluisset. Addidi histo-
riam notam veteris Principis, qui cum numerosam stir-
pem relinqueret moriens, filiis ad se accitis iussit virga-
rum fascem afferri, & ab illis frangi: Id cum omnes fru-
stra essent conati, ipse acceptum fascem soluit, & singu-
las virgas fregit nullo negotio. Ex eo facile intelligi con-
cordiam validâ esse, stultam & imbecillem discordiam.

Veram autem amicitiam & coniunctionem inter Christianos, id est, humanarum diuinarúmque rerum consensum cum beneuolentia & charitate coniunctum, solum esse vinculum incolumitatis nostræ, ipsorúmque & totius Ecclesiæ Christianæ. Ea quidem omnia quibus consociantur homines facilimé reperir. in nobis, qui eadem concupiscimus. eadem odimus. eadem timemus: quibus ex rebus nascuntur amicitiæ inter bonos, at q; inter improbos factiones. Neq; tamen his, multisque aliis in hac sententiam dictis, vel minimùm commoti sunt: vt mihi tum veniret in mentem quod de reliquiis & fragmentis Imperii Romani prædixit Daniel: viderérque mihi allo qui articulos illos fictiles pedum statuæ, cuius meminit, aut quemadmodum de Romanis dixit Iugurtha, vænales & auctioni paratos, si reperiant emptorem.

Postremò cum mihi parum cœpta procederent, & ex alio, vt fit, in alium sermonem delaberemur, subiecit ipsorum oculis Dei iusta iudicia: non propriè à Iudæo Christum interimi: quippe Messiam suum reuerenter expectat: neque à Turca, qui etiam Christo Prophetæ titulum attribuit. Ac ne à Papista quidem, Christum in membris suis confodi: qui quemadmodum ipse Christus prædixit, Deo obsequium præstare se sibi persuadet. Non ab aliis magis Christum per latus fratrum suorum transfigi, quàm ab Regibus, Principibus, Populis, qui Christum norunt, qui Christum amplexi sunt. Christianos tamen, populares, ciues & fratres ante pedes, antè oculos suos miserè vexari & trucidari sinunt: neque vltrò fidem suam implorantes ope nec subsidio iuuant.

In summa hoc tibi confirmo à me nihil consultò prætermissum, quod huic tam iustæ causæ prodesse posse intelligerem.

His tamen tot ac tantis obtestationibus nihilo magis adlecti sunt, quã si nullus calamitatũ nostrarũ sensus ad se pertineret: nec q; vllum vel minimũ signum dederunt auxilii

ilii ſuppeditandi. Aſſenſere quidem omnes facinus inhumanum, deteſtandas inſidias, Carolum Valeſiũ & ipſius cõſiliarios ſibi omnium, quotquot viuũt hominum maximè perfidos & inconſtabiles videri: horrere animum tanti flagitii imagine: mirari ſe defunctos Principes (quorum memoriam colerent) toties eluſos, toties deceptos, iſdẽ proditoribus credidiſſe, quorum vanã & fluxã fidẽ toties eſſent experti. Suum hoc conſilium eſſe, ne fratres qui huic ſtragi ſuperſunt, Caroli aut ipſius miniſtrorum verbis conſopiri ſe & permulceri vnquam patiantur, néve vllo tempore arma ponãt, quæ Deus illis & legitimæ defenſionis neceſſitas induit. Se quidẽ ad iniuriam à nobis propulſandã libenter arma ſumpturos, ni ſuorũ hominum ingenia norint: ſcire ſe illos mercede magis & pecuniæ cupiditate, quam Dei reuerentia duci. Nihil verius dicebant, quippe videbamus ſuperiori Galliarũ motu, eiuſdẽ religionis Germanos non paucos, abſq; vlla religionis & pudore cõtrariis in caſtris ſtipendia facere. Ad extremũ, vt in pauca cõferã, multis verbis vltrò citróq; conſumptis, ita ab illis opis egens & vacuus diſceſſi, vt ab diuitum limine arceri ſolent & dimitti pauperes, quos nõ alia ope beant, quam hoc vno ſterili & ieiuno verbo, Amice abi: mihi non eſt quod dem: Deus te ipſe iuuet. Itaque abij, ægrè ferens: ſed prius clarè iſtis denuntiaui propinqua Dei iudicia: Diutius nõ paſſurũ Dominum tam cædã ſecuritatẽ, tã perfidã ignauiã in iis qui populi Dei nomine gloriẽtur. Neq; diuturna Imperia iis eſſe poſſe, ſed propediẽ caſura, qui ipſius Dei Regnũ impiorũ pedibus obteri & calcari ſinerẽt. Poſt hæc Emda ſoluẽs in Angliã traiecci, vbi nuntia Gallicarũ cædiũ, quæ ſerebã, per totã inſulam lõgè latéq; ſparſa reperi: nobilitatẽ cũ Eccleſiaſticis & populo vltionis cupidine vltrò incenſa: neque aliã moræ cauſã quàm quod expectarẽt, dũ à Regina cõmeatus & ſoluẽdi ſignũ daretur: deniq; cũ eũ rerũ ſtatũ deprehẽderem qualẽ optabã. mihi nõ viſi ſunt ad auxilia ſummittenda ſtimulandi acrius, quando ſatis ipſi ſponte currerent.

Ad Reginam tamen introductus, ipsi & Consiliarijs rationem susceptæ profectionis exposui, munusque ab Ecclesia mihi impositum: & de nostris calamitatibus dicere orsus, monui: quemadmodum orto incendio, lapsus ignis in contiguas domos vicina quæque corripit: ita metuendum esse, ne continua incendia in oppositam Galliæ Britanniam traiicerent, si Gallia indefensa conflagraret: neque vllis subsidiis posse reprimi Gallicos ignes, ac ne freto quidem arceri, quo Britannia à cætero orbe diuiditur, nisi maturè restinguantur. Vicinum quidem vicini vel inimici flagrante domo, ad opem ferendam concurrere, & aquam ad restinguendum ferre. In eam sententiam multa argumenta, testimonia, exempla, vt apud Principes Germanos, conieci. Ad extremum addidi, nihil superesse quàm vt ab Regina soluendi fieret potestas proceribus aliquot, qui eam expeditionem suo sumptu suscepturos vltrò sese pollicerentur, cum Nobilibus nō paucis, & voluntariis militibus, vt maturè iniurias Deo & Ecclesiæ Gallicæ illatas vltum irent. Ad hæc Regina, re ad consilium relata, in hanc fere sententiam respondit, Se nihil libentius facturam, si vtique fide incolumi posset: sed impediri societate cum Carolo paulò ante inita, quam, tametsi eum pro tyranno, proditore, & scelerato habeat, violare tamen ipsa non sustineat: Optare se & petere à Deo, vt tantum scelus autoris morte expietur: at fidem frangere & iusiurandum fallere id verò sibi nefas, & se nunquam facturam. Ibi Reginæ sermonem cum excepissem ita disserui, Promissum hoc ex eorum genere videri, quæ seruanda non sint, quale fuit promissum Herodis, propterea quòd cum Dei dedecore sint coniuncta. Promissa multa (vt inquit Cicero) quæ natura honesta videntur esse, temporibus fieri inhonesta & perniciosa: vt si cui mutuam pecuniam promiseris, qui boni ciuis famam & opinionem haberet, atque is postea bellum inferat patriæ, promissum potius non faciendum, quà contrà Rempublicam peccandum esse.

Spopon-

Spopondisse Reginam inde ab ipso Baptismo obsequium ac fidem Deo summo Principi, cui aperte Carolus Valesius bellum inferat: quo tempore in Ecclesiam introducta sit, cum cæteris Ecclesiæ membris perpetuũ fœdus & inuiolatam societatem contraxisse: iam incidisse tempus, cùm Deus illam de sua fide appellet & promissum exigat. Legibus verò omnibus diuinis & humanis, atque ipso iure Gentium Reginam exolui omnibus iurisiurandi vinculis, & ea fide liberari, quam perfido dederit: neque à Tyranno alia mente appetitam ipsius societatem, nisi vt eadem nebula falleret ipsius oculos, & pius structos in Gallia dolos velaret. Deum verò, qui ipsam é carcere & vinculis eductã, in tantum fastigium extulerit, præsidium atque opem ab ipsa filii membris oppressis & vexatis vt beneficii gratiam petere. Adiunxi huic orationi rationes quàm potui validissimas, petitas non tantum è fontibus Scripturæ, quæ sexcẽtis locis docear, quàm æquabilis symmetria esse debeat, quam congruens quædam veluti conspiratio & consensus omniũ partium corporis Christi: verumetiam à necessitate, & ab ipso rerum statu ductas, itémque nonnullas, quas natura ipsa dictaret & sensus communis. Eo enim solo magistro ac duce nos in eam opinionem induci, vt ista naturæ portenta è communi vita putemus eiicienda, quemadmodum Ciceroni visum est in Offic. libris. Quem ego suis verbis, id est, Latinis, quæ Regina præclarè callet, loquentem introduxi. Nulla (inquit ille) societas nobis cum Tyrannis, sed potius summa distractio est. Neque est contra naturam spoliare eum si possis, quem honestum est necare. Atq; hoc omne genus pestiferum & impium, ex hominum communitate exterminandum est. Etenim vt membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Hæc & similia cum plu-

bus verbis expoſuiſſem ad charitatem Chriſtianam ſpectantia, & naturam veræ fortitudinis, quæ in eo maximè cernitur, cum propugnat pro æquitate, & ab infirmis & calamitoſis iiſque aliqua ſocietate coniunctis prædonũ ac tyrãnorum propulſat iniuriam: hæc, inquã, cum expoſuiſſem, neq; mihi propterea excitari Reginæ animus, imò nihilo ſecius torpere ac frigere videretur quã antea, eius rei cauſam muliebri imbecillitati & ignauiæ tribuendam putaui: deeſſe illi ſtrenuum aliquem & peritum belli Ducem, cui exercitum & Regni vires poſſet tutò credere: tum Cõſilii ipſius Principẽ ac primariũ, qui ditionis ſuæ ſacra iuxta ac profana, tẽporalia, vt loquuntur, & ſpiritualia ſimul adminiſtrat, hominẽ eſſe ignauũ & imbellem, Clericum deniq; potius quàm militẽ, lingua magis quã virtute valere: futurorũ tamen prouidum, vt valida poſt Reginæ mortẽ præſidia ſibi cõparet, duorũ Regum pecunia & occultis penſionibus foueri. Itaq; illa ſpe deſtitutus alios Angliæ Proceres adii maiori zelo præditos qui cũ Epiſcopo Lõdinẽſi, nobilibus aliquot & mercatoribus, haud inſcia & inuita Regina, quæ occultè opem & cõſilia ſociabat, opera Apſteri Ciãpernonis, cõfecerunt ad quadraginta millia librarũ, partim mutua pecunia ſũpta, prædibus & fideiuſſoribus acceptis Rupellanis aliquot, partim nũmis in capita collatis per ſpeciẽ Eleemoſynæ. His inſtructus Comes Mongomerius, qui tũ in Anglia profugus agebat, Reginæ volũtate & occultis mãdatis, comitãtibus iuniori Ciãpernone & altero Morganorum, multiſque nobilibus & militibus Anglis & Gallis, mediocrẽ exercitũ & claſſem inſtruxit, quinquaginta fermè nauiũ moditarũ & magnarũ. In iis erat prima Roſa vna Reginæ nauis, quadringentorũ doliorum capax: miſiſſétq; aliam etiã nauim Hacquini nomine Biſcaniam, niſi per eos dies Olſtotius Pronauarchus Angliæ viginti naues Gallicas & Belgicas illa naue inuaſiſſet cepiſſétque, quæ in Angliæ littoribus ad anchorã ſtabant inſtructæ, vt cum Mongomerii claſſe ſoluerent.

Pol.

Pol. Siccine potuit vna nauis 20. naues armatas capere?

Hist. Imò facilimè: ad stationes & littora in anchoris manebãt, securæ & nihil tale expectãtes, nullius videlicet illati dãni sibi conscíæ, cúmque ii à quibus id fieret auctorem sibi esse dicerent. Clyntonium videlicet Amiralium Angliæ, nemo resistere audebat.

Pol. Verùm quid habuit causæ Clyntonius, cur istud latrocinium fieri suis auspiciis sineret?

Hist. Nihil: sed eã tamẽ specie & obtẽtũ habebat. Cũ Reginæ nõ satis esset cum omniũ bipedũ nequissimo & crudelissimo Tyrãno societatẽ cõtraxisse, nisi super etiã publico domestico fœdus adiungeret, & pro huius perfidi filia in Baptismo fide iuberet; eius rei gratia in Gallã legatum misit Nobilem virum Vvencestrium, qui munus istud exequeretur, & vicem Reginæ sustineret.

Pol. Demiror equidẽ quomodo Vvencestrius id munus à Regina nõ fuerit deprecatus: causat' à se nõ posse honestè & salua conscientia cõmitti, vt, nõ dico Tyrãni sobolẽ, sed alterius cuiuscunq; Papistæ infantẽ corã abominando Idolo, Satanæ ministro exhiberet, & sacrũ Baptismum cõtaminari cerneret Chrismate, sputis aliisque eiusdẽmodi profanis ceremoniis.

Hist. Nihil est quod magnopere mireris. Vvẽcestrius ille Papista est: Deus illum veritatis luce dignetur. Haud equidẽ existimo Nobiles viros Oxtinctthonium, neque Bethfordiũ, neq; Vvalsyngamum, qui tum legatum agebat in Gallia, neq; aliũ quempiã pium virũ munus illud susceperũ, aut Reginã eiusmodi viris impositurã fuisse. At multò admiratione dignius est Reginã, quæ haud perplexè intelligat quãtũ ea sacramẽtorum profanatio Deo displiceat, suæ tamen cognitioni illudere, & abrupta dissimulatione prorumpere ad illicita.

Pol. Mirãdũ profectò est Principes in sublime fastigiũ erectos tantũ sibi assumere, vt Deo repugnare audeant, cum quo si componantur lumbrici sunt & vermes: ac si ipsius lex nihil ad se pertineret. Quãtùm quidẽ ex te intelligo, quò Tyrãnus tetrior est, eò impẽsius ab illa colitur.

Hist. Id quidem metu magis quàm beneuolentia vlla. Neque alia causa est propter quam affinitatem ipsius per matrimonium fratris affectet, quam quod existimet eo vinculo Regnum Angliæ tutum ab ipsius insidiis facilimè posse seruari: Sed quàm lubrica & fallax est ista spes? mihi quidem videtur ita causas & instrumenta exitii sui struere: vt non leuiori casu per connubium fratris affligatur Anglia, quàm quo prope obtrita est Gallia per nuptias sororis. Sed vt ad naues vnde abieram, reuertar: Vvencestrius Douero soluens modico nauigio, paucis scaphis & lenunculis deducentibus Boloniam tendebat: cum eum in Galliam traiicientem Piratæ aliquot Angli, Galli & Belgæ excepere, Liburnica vna vecti (cui vulgò Postæ nomen erat, Celocem possemus vocare) illúmque tanto impetu adorti sunt, vt parum abfuerit, quin illud nauigium quo ipse vehebatur deprimeretur. Vna quidem ex nauiculis, quæ ipsum comitabantur capta est & direpta: tum aliquot ipsius comites interempti. Ferebant nonnulli ob priuatas quasdam simultates, quas sibi Vvencestrius conciuerat, structas illi fuisse has insidias: vulgatior fama erat, prædæ cupidine illectos & intercipiendi muneris, quod ad Compatrem suum Regina mittebat, illud ausos: vt illius muneris vice laqueum supponerent: alii, dolore & iracundia victos sceleratum istud iter quacunque vi abrumpere voluisse, quod in Dei dedecus verteret, arbitrabantur. Vtcunque fuerit, Regina incensa, Amiralium iubet seuerè de hac iniuria quærere, atque in autores animaduertere. Amiralius, qui lautiorem prædam non peteret pro suo more, Reginæ mandatum per suos ministros ita dexter executus est, vt nulla nauis Gallica nec Belgica relicta sit, quæ non omni armamento & onere exueretur. Magistri nauium, nautæ, remiges in carcerem tracti: atque inter cæteros Nobilis quidam familiaris meus, historiarum scriptor diligens & accuratus, cui nostra Gallia plurimùm debet. Qui omnes in carcere ita liberaliter & comiter habiti sunt, vt eius

dici

dici nunquam obliuiſci debeant.

Is caſus Comiti Mongomerio damnum ſimul & moram attulit, vt menſe vno tardius & viginti illis nauibus debilior ſolueret: inſuper etiam naui Biſcania quæ à Regina promiſſa Claſſi ſeſe iungere auſa non eſt, ne ab aliis proderetur, quæ fecerat. Itaque obſeſſis Rupellanis ea maxime res ſerum Mongomerii auxilium, nec profuturum miſit.

Nam paulo poſt Anglia ſoluens nauibus Rupellam peruenit: & iam in conſpectu vrbs atque hoſtes erãt, qui os ſinus & alueum, quà in portum leni æſtu mare influit, nauibus, triremibus, molibus, & caſtellis claudebãt, nec longius aberat ab hoſtium claſſe, quàm quãtum tormento adigi poterat: claſſémq; ad pugnam explicabat; cùm repente vana formidine, an ſuas ipſe vires æſtimans & hoſti ſe impárem ratus, incertũ, curſum repreſſit. Hinc hoſtibus animus creuit: & quemadmodum improuiſo aduentu caſtra & nauales terreſtréſq; copias terrore impleuerat, ita ſpatio ad reſiſtendũ dato, cõfirmauit hoſtes quibus territis inſtandum erat. Nam illi cum cunctãtem & ſegnius prælium capeſſentem cernunt, mille ſclopetariis in naues impoſitis vltrò occurrere. Poſtera luce, cum diſtracta parte virium & non integra claſſe in eundem locum ad certamẽ nauale deſcendiſſet, eſſétq; plurimùm aucta terreſtribus copiis hoſtium claſſis, retrò vela conuertit, & ad inſulam, cui Pulchræ nomen eſt, regreſſus, inſulæ arcem de improuiſo oppreſſit & cepit. Eam modico præſidio obtinebat Præfectus quidã Comiti Retio cognatione coniunctus: quẽ captũ & in Angliã abductum apud Mottefenelonium legatum vidi.

Polit. Oportet fuiſſe hominem ſtrenuum & ſingulari virtute Præfectum iſtum qui propinquus eſſet tam honeſti viri: non ſine ſudore & ſanguine tales viri expugnantur.

Hiſt. Scilicet: haud eſſes tui ſimilis, niſi aliquem ſemper ſalibus aſpergeres. Sed ille nõ erat propinquus illius

Retii qui nũc Comes eſt, ac multo minus D. Mareſchalli Retii, ſed tum illum ſanguine contingebat, cum Lugduni Pater Alberti Gondi (hoc verum Comiti Retio nomen eſt) Florentini Mercator, menſam & ſolum verteret: atque eo tempore, cum Peronius (quod illi adoptium nomen eſt) bellis Metenſibus ſcriba eſſet Præfecti annonæ, aut Bonuiſii fœneratoris rationarius ſcriba Lugduni.

Pol. Haud magnum igitur pro capite pretium pependit ignobilis, ei à quo captus eſt.

Hiſt. Hoc tibi æſtimandum relinquo. Sed vulgò notũ eſt iſti Alberto tum ne teruncium quidem fuiſſe. Neque obſcurum, nouum iſtum Lãdericum, quem Comitatus, dignitates & cætera priuatum modum ſupergreſſa extollunt, ita deuinxiſſe ſtuptis bonã noſtrorum Regum Matrem propter libidines ipſius expletas, vt opes regias, honores magnos & cætera præmia virtutum vitiis adeptus ſit. Sed vt Rupellam redeam, vnde me iſte auerterat, quanquam ab ingenti ſpe ciues deſtituti erant, non tamẽ defecere animis, ſed emiſere ſeptem homines, qui ita ſecundis ventis vſi ſunt, vt exigua ſcapha per medias hoſtium ſtationes & claſſem erumperẽt. Ii ad Mõgomerium cum peruenirent, in conſpectu hoſtium, gratias illi ob laborem ſuſceptum egere, orantes, ne propter ſe vllũ deinceps ſimile periculum adiret, ſed ſeipſum reſeruaret meliori fortunæ ac certamini: ſibi quidem, tametſi auxilio externo deſtituantur, certum eſſe atque decretum forti animo obſidionem pati, potiuſq; laturos extrema, & ad vnum alius ſuper alium occubituros, quàm vt ad deditionem flecterent animos, & ſeipſos permitterent poteſtati perfidorum.

Pol. Egregium planè, ac heroici animi exemplum. Creuiſſe illis animos cõtra omnium ſpem, cum maximè cecidiſſe viderentur. Magna quidem vis eſt neceſſitatis ad acuendos animos, atque ad omnem patientiam durandos. Sed Deus multò etiam illuſtrius ſuos, quoties

opus

opus est, necessaria virtute instruit.

Hist. Luculenter dictū. At Comes Mongomerius cognito Rupellanis maiorē quā pro viribus esse animū, ad eos navigiū misit in ancipitē euētum, & in eo duo millia pondo pulueris bōbardici, & aliquot modios frumenti; quod secūdo mari per medias hostiū custodias elapsum, ita opportunè obsessis superuenit, vt consumptis prope omnibus frumētis ac pulueribus nullo magis necessario subsidio egerēt. Deinde metuēs nequa vis de improuiso exercitū suū adoriretur, in Pulchra insula, vbi neq; portu, neq; castellis, neq; aliis munimētis satis instructus esset ad hostē propulsandū, exercitū dimittit. Aut (quod necesse est accidere disciplina militari semel licentia pollu ta, vt sine cōmeatu vagi milites, se vbi velint exautorent) sponte sua exercitus dilapsus est & Imperatorē suū deseruit. Capitan. Hippiuillius Normanus, qui benè instructa & armata naui vehebatur, in patriā regressus ad hostē defecit: alii prædabundi mare insedere & latrociniis fecere infestū. Comes paucis nauibus Angliā petiit comitantibus duobus generis, liberorū suorum maximo, Capitaneis Poyeto, Casalio, Casafloreo, Meaussio, Cāpesio, Saurio alíisq; Nobilibus, & modica militū manu. Cæterùm Regina & ipsius Consiliarii, qui de Mongomerii expeditione sibi plura & maiora promiserant quàm vt Rupellæ subueniret, postquam spes in irritum cecidere, & ipse inglorius rediit, largiter de iudicio & opinione quam de ipso conceperant, remisere. Ac cùm anteà illum tanquam Heroem aliquem, aut Martem cœlo lapsum suspicerent, neque dissimularent coram ipso Tyranni legato, quanti faciendum putarent, tum vix sustinere clàm cum ipso congredi, aut in occulta colloquia admittere: adeò fluxa est & instabilis virtutis fama, non sua vi & propriis quasi neruis, sed opinione aliena nixa.

Pol. Eunt nunc qui mulierum inconstantiā accusant, quæ leui momēto huc & illuc impellūtur, quando & ista vitia admittūt cōcilia & cœtus virorū. Lōgè quidem sa-

pientius Romani, qui suos Imperatores haud paulò lætius post aduersæ pugnæ infamiam, quam post secundæ decus excipiebant. Terentio quidem Varroni post grauem illam acceptam cladem ad Cannas, quæ Annibali victori, si victoria vti sciret, Vrbem tradebat, frequens tamen Senatus obuiam egressus est, & gratias egit, quòd de summa rerum non desperasset. Quippe satis grande onus Consulibus & Imperatoribus suis arbitrabantur cladis & ignominiæ acceptæ, & indignè facturos, si super dolorem amissæ victoriæ, probra aut contumelias ingererent. Præterea cum armorum fœlicitas anceps sit ac breuis, vsueniet nonnunquam, vt is qui in summa prora nauali prælio fortiter hodie pugnam cerit, cras idem subitò pauore perculsus in sentinam descendat, pudendi latebra semet occultans: & cras fugiat qui hodie hostem fregerit. Omnino eadem est alea Martis, quæ in ludo latrunculorum, siue schacorum, vt vocant, vbi à peditibus capiuntur Equites, & ipsi Reges indagine cinguntur: ab Reginis expugnantur Petræ & castella: nonnunquam etiam, Moriones, qui propè Reges collocantur, Regem ipsum per iocum & ludum spoliant.

Hist. Nihil verius, Iccircò dicebat ille, Deos mortalibus, quasi pila, ludere, & illis pro ludicro vti, quę prius extulerint, deturbantes, vicissimq; extollętes quę afflixerant. Sed in eo, de quo agimus, exęplo, certissimum est, Deum illum deorũ Dominũ exercituum arcano suo iudicio optimis quibusq; ad se reuocatis, cæteros Gallicæ Ecclesiæ Atlantes, vt videbantur ita perculisse, & obstupefeciſſe Nobilitatẽ, vt animũ humilibus & obscuris adderet: & pro suo more, despectis & imbecillis instrumentis valida quæque & procera confunderet, sibique vni assereret integram gloriam totúmque decus Ecclesiæ miraculo liberatæ.

Pol. Nihil grauius nec melius dici potest. Et valdè quidem caligant illis oculi, qui istud perspicuè nõ cernunt: Deus (inquit Virgo) forte facinus fecit brachio suo: dis-

sipauit

ſipauit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Detraxit potentes à thronis & extulit humiles. Famelicos impleuit bonis & diuites ablegauit inanes. Suſtentauit Iſrael puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ &c.

*Tu verò iſta multò apertius intelliges, cum tibi ea narrabo quæ intra extráque Rupellam, & Fanum Cereris (vulgò Sancerram) geſta ſunt, quamdiu ab hoſte ſunt obſeſſæ, tum deinde iſtarum vrbium liberationem miraculo ſimilem. Sed cætera, quæſo, exequere, & matura, ne quis ſuperueniat, qui odioſè interpellet ſanctos hoſce ſermones noſtros.

Hiſtor. Imò vero libens: & quæ ſuperſunt paucis peragam. Ergò poſteaquam vidi modicum illum exercitum tot laboribus ſcriptum & collectum (in quo diſſipando Tyrannus fruſtra laborauerat, crebro miſſis qui totum apparatum diſſicerent, Mauuiſſerio, Caſtronoua no Britone, & ſancto Ioanne Comitis Mongomerii fratre) hunc ego inquam, cum viderem lacerum & diſtractũ abſque vlla ſpe, conatuſque eſſem Reginæ in animum inducere, vt geminatis viribus bellum de integro capeſſeret: maiore præmio atteri quàm irritati hoſtem: & minore negotio Anglos Tyrannũ oppreſſuros, ſi in ipſam Galliam auxiliis læſarum partium inſtructi bellum & arma transferrent, quàm ſi cũctarentur, donec cum piis in Gallia deletis, agros ſuos vrentem & populantem viderẽt: metuendum eſſe, ne inde Anglis odiũ male & arma diſſimulantibus, & hoſtilia auſis diſcordiæ & bella gliſcerent. Itaque cunctando non arceri bellum ſed trahi, & contemptum ex ignauia naſci.

Sed cum ne hæ quidem tam iuſtæ rationes apud ſurdas aures valerẽt, neque tã zelum illis mouerent, quam ſtomachum, indignantibus ſollicitari quietem ſuam, & iucunda nuntia quàm vera lætius audituris, qualia Micheas aliquis afferat, qui propinquantem ipſis caſum & præceps exitium denuntiet, ni maturè prouideant: poſteaquam domitio, vnà cum fratribus profugis iciuniis &

orationibus fratres obsessos commendauissem, Angli solui, vt transmisso mari ad Heluetios tenderem. Eò cum peruenissem, pluribus verbis aliquot Pagorum Principibus negotia nostra exposui, videbarq; multis de causis inde non verba tantùm, sed nobile aliquod & validum aduersus violentiam Tyranni auxilium laturus: siue quòd eandem nobiscum religionem profiterentur et duodecim Pagis quatuor nobilissimi: vel quia ita exigeret status ipsorum ratio ac necessitas, quibus merito formidabiles & suspecti esse deberent perfidi Principis, omnisque libertatis spiritualis ac Politicæ iuxta inimici, temerarii conatus: siue quòd ad Heluetiorum Principes, aliqua ex parte ea cura pertineret, vt à Gallis socijs ac fœderatis iniuriam propulsarent. Sed præter opinionem accepi Catholicos Pagos iam tum ad istum Galliæ laniſtam & carnificem sex millia militum misisse, ne fortè deessent lupi qui quicquid ouiũ in Gallia superarat, in sæuitiam vnius absumerent.

Pol. Cui venisset in mentem, fore aliquando vt exuta veteri disciplina & morum sanctitate perfidi Tyranni partes fouerent Heluetij? amantissimi libertatis, qui præclaram constantiæ & fidei in pactis promissisque seruandis existimationem apud omnes consecuti sunt: ac proinde odisse atque execrari Tyrannum debent, à quibus ea maximo totius Galliæ sibi fœdere coniunctæ detrimento violantur. Non video quidem quàm benè sibi constent qui tantopere dissidentia inter se componere conantur.

Hist. Ita haud dubiè versat & transuersos agit homines Auri sacra & inexpleta fames. Hæc mali fomes est.

Pol. Odor (inquiebat ille) lucri ex quacunque re bonus est. Sed nullius vnquam lucri tam execranda fœditas audita est: Hominem ab vicino & fœderato pecuniam sumere, vt ipsum spoliet & iugulet. Dicent fortasse se sub Rege stipendia merere. Sed vnde illorum pensiones, quibus

quibus fouentur tempore pacis, & stipendia militiæ, nisi ex miserorum Galliæ ciuium sudore ac sanguine, qui huic Tyranno pro mancipiis seruiunt? Itaque non tam cum Rege, quàm cum ipso Regno ius illis societatis atque amicitiæ contractum est: quod tamen boni scilicet socii & amici hostiliter quotidie populantur. Sed quis tandem illos postrema illa expeditione fascinauit, cùm nemo illorum viueret, quos Regno imminere & Tyrannidem affectare sibi persuaserant: Neq; verò merito poterunt, si redierint sospites gloriari, sicut aliàs fecerunt cum dicerent, se de Rege bene meritos, quòd sine ipsorum auxilio futurum erat vt Dom. Animalis & Dens lupi (ita Amiraldum & Dadelotium per barbaram inscitiam vocabant) de ipsius capite coronam detraherent: quando iam à nobis non de imperio & Corona, sed de capite & salute certatur: neq; cõsilia miscemus, vt deturbemus Reges de solio, sed perfugia quærimus, vt aduersus cruẽtas Tyrãni & prædonis manus, non fortunas quas euertit, sed vitã & sanguinẽ quẽ appetit, seruemus.

Hist. Noli existimare illos sibiipsis persuasisse, quod alijs persuadere conabãtur: Sed necesse erat illos cupiditates suas honestis nominibus velare. Itaq; clientelæ & ob sequi causam vt speciosissimã ostentabãt. Sed reuera maxima pars in Galliã ibat nõ aliter quàm ad certã & expositam prædã: alii domi egẽtes & stipendio deleniti, vt vitã militia potius quàm labore tolerarẽt: nõnulli etiam odio religionis. Duces verò, vt per nostras calamitates crescerẽt, discerẽntq; in illo nequitiæ ludo malas artes; & omnia posse quæcũq; collibuissent. Capturi haud dubiè exemplum à suo illo bono patrono Iunio & carnifice, vt ipsius ope & subsidio instructi, aliquãdo etiã ipsi in suos ciues ius omne imperij atq; infinitã potestatem vsurparent. Hæ sunt veræ causæ, quæ illos ad postremam quoque istam expeditionem suscipiendam adduxerunt.

Polit. Quis habendo ipsorum delectui præfuit? quis scribendas legiones Helueticas procurauit? Nam

Bellcurius legatum ibi tum non agebat, cui omnium & mortalium & cœlestium maximè fidem habent.

Hist. Minimè quidem præerat is quem dicis, Bellicii us. Sed fratrem maiorem natu in suum locum sufficiendum curauerat. Venitque ipse ad eam rem opportunè succenturiatus bono illo stipatore Petro Carpētario (hominem nosti) & antiquæ fidei scilicet viro Secretario Polerio.

Pol. Deus bone, quid audio! amicum veterem meum Polerium huic commercio interfuisse: Heu quam miseret me huius viri!

Hist. Et misericordia quidem ille dignus est: ac cæteri, valeant: nam Carpentarius semper fuit egregius nebulo & perditus nepos, vulpes vafra ac versipellis: alii duo non insciti a pectant, sed pietatem pretio & splendore metiuntur: denique ex eorum numero quibus Deus huius mundi obnubit, aut effodit oculos. Polerii verò non absque magno animi dolore & cruciatu meminisse possum.

Pol. Quam mihi dolet, ipsum pretiosa Euangelii notitia tam turpiter abuti!

Hist. Haud dubiè multa ille indigna & veritati cognitæ aduersa exercuit. Sed Deus qui oues suas, vbi opus est, ad se retrahit, ne seipsas perditum eant, illi per eos dies occurrens, minimo manus suæ potentis digito ita vadentem perculit, vt in via plana & facili vnà cum quo corruentem, dextro crure defracto in medio cursu sisteret.

Pol. Vtinam profit illi hæc ferula, delictáque in memoriam redigat. Sed quam causæ speciem, quem obtentum proponebant boni isti viri Heluetiis Catholicis?

Hist. Non alium, præterquā hunc: Velle scil. ipsorum Patronū & Cōpatrem in suo Regno soluta & inhibita potestate vti, ac vtcunque res esset euasura, de omnibus pro libidine statuere: Haud vllis magis infensum infestúmque esse quàm Rupellanis, qui vltrò portas aperire nollent

nollent Carnificibus ad ipsos autoritate Regia iugulandos missis. Ergò illos comiter, vt qui ad nuptias inuitant ad hauriendum sanguinẽ & spolia bonorum legenda vocabant, quos tamen appellabant rebelles, seditiosos, omnisque iuris diuini & humani hostes.

Polit. Istud verò ego constanter nego, seditiosos esse aut improbos: neque vllam pœnam recuso nisi ipsorum innocentiam probauero, apud eos quidem iudices qui nullo affectu victi corruptique ad cognoscendum processerint.

Historio. Ego verò tibi istud argumentum tractanti, libenter operam dederim, nisi molestum est, & vis aliquã in ea quæstione syncerè explicanda curam, laborémque consumere, idque secundum iura conscientiæ & Politici status. Est enim in quibusdã, vt scis, cõscientia ita timida & religiosa vt se pulsari patiantur, & maxillam ferienti alteram vltrò præbeant.

Polit. Haud absurdè factum, in priuatis quidem iniuriis, si priuati ferant potius iniuriam quàm inferãt, aut parem vicem reddant. Sed in hac causa, res longè aliter se habet.

Historiog. Sat scio, neque adeò sum hebes, vt nesciam quid in ea re seruandum sit, neque dubito perinde licuisse ac licere fratribus nostris seipsos aduersus violentiam Tytanni defendere, vt licet viatoribus, prædonum, grassatorum & luporum vim vi propulsare. Quinetiam cum veteri populo Romano ex omnibus præclaris factis pulcherrimum illud existimo, Tyrãnum occidere. Siquidem quemadmodum præclarè docet Cicero, siquis Tyrannum occiderit, quamuis familiarem, præclarum & honestum facinus edidit, coniunctúmque cum vtilitate & salute publica. Verùm ex te amplius scire cupio, quid in ea quæstione potissimum statuendum sit, vt iis argumentis, testimoniis & exemplis, quibus te scio abundare, vtar ad timidos confirmandos, & nimiùm scrupulosos exoluendos religione non necessaria.

Polit. Sed vereor, vt, si istud argumentum explicandum suscepero, abrumpam filum narrationis tuæ, & te lõgius quasi extra viam abducam.

Hist. Minime verò. Noli vereri, vt eo facilè non redeã, & mihi pauca supersunt. Itaque aggredere sodes. & hanc quæstionem perspicuè tractato, quæ à nostro proposito aliena non est.

Polit. Faciam verò vt poteto, quando ita vis. Itaque attendito.

Principiò statuenda est hæc veluti summa lex, & indubitata propositio: Solum videlicet vnius Imperium infinitum esse & nullis terminis circumscriptum, Dei nimirum Omnipotentis, cui soli conueniat potestatem habere infinitam, Ac proinde, omnium Magistratuum & Principum autoritatem certis finibus & quasi cancellis septam esse & concluſam, vltrà quos non liceat illis progredi, neque subditos fas sit illis parere si progrediantur. Quod si aliter fieret, ita æquaretur autoritas Magistratus summi Dei Imperio, quod vel cogitare, blasphemiæ esset proximum. Tametsi enim Magistratus referat imaginem Dei viuentis, nihilominus tamen verum est quod dixit Dominus per Propheram: Gloriam meam alteri non dabo. Itaque Magistratus à Deo non eò constituti sunt, vt summæ ipsius Maiestatis & gloriæ partem sibi vendicẽt, sed vt tanquam ministri ac serui, potestatis suæ honorem & gloriam solidam Deo acceptò ferant. Bifariam autem potissimùm Magistratus transiliunt fines sibi à Deo circundatos: Primùm, si præceperint quæ ab ipso Deo prohibentur aut contra prohibuerint quæ ab ipso præcepta sunt. Quæ quidem mandata & interdicta Magistratus prorsus impia sunt & primæ Tabulæ repugnantia. Alterum peccatum est, cum prohibent aut iubent aliquid, quod fieri aut omitti non potest quin sancta violetur charitas; & hæc mandata feruntur aduersus secundam legis Tabulam, & iniqua nominantur.

Eo

Eo igitur posito fundamento, nempe Deo vni debeti summam absque vlla exceptione obedientiam á nobis, inde sequitur non esse parendum Magistratui impia aut iniqua imperanti, id est pietati aut charitati contraria. Cuius rei multa exempla sunt. Edictum Pharaonis, quo iubebat interfici Israëlitarum filios prorsus iniquum erat. Itaque non parucrunt obstetrices, & iccirco non tantum approbatur illud factum á Spiritu Dei sed diserte laudatur, dicitque Scriptura, Dominum ædificasse illis domos, hoc est bene dixisse obstetricum familiis.

Edictum Nebucadnezaris, cum iuberet imaginem suam adorari, prophanum erat & impium: neque huic obsecuti sunt socii Danielis: qui ob insignem fidem & constantiam in medijs flammis illæsi & incolumes à Domino seruati sunt. Imperia Iezabelis, cum iuberet interfici Prophetas impia erant & aduersus 1. Tabulam: cum iuberet bonos & innocentes viros tolli, erant iniqua & 2. Tabulæ contraria. Ergò Abdias Deum timens non modo non paruit, sed contra abditos Prophetas omnipotentis & fouit.

Iudæi, quantum in se erat, Christum prohibebant, ne annuntiaret voluntatem Patris. Christus (qui quamuis filius Dei esset, & omni potestate superior, erat tamen quatenus homo, priuatus, respectu Magistratus) non obsecutus est illis: neque postea Apostoli Sacerdotibus, cum similia imperarent. Longum esset ac prope infinitum, si recensere vellem omnia exempla Martyrum, qui persecutionem & mortem perpessi sunt, quia prophanis Principum & Imperatorum edictis parere nollent. Maneat ergo nos non posse bona conscientia Principibus obsequi, quoties Deo aduersamur: imò nos officio non rite satisfacere, nisi neglectis impijs Principum obsequijs, Deo vni pareamus.

Qua quidem in re, ne à recta via deflectamus habenda

erit ratio Vocationis nostræ tum generalis, tum particularis, & ad eum scopum dirigendæ erunt omnes actiones nostræ. Quamobrem rectè fecerũt obstetrices, dum Pharaoni iniqua iubenti non paruerunt, quia si crudele ipsius mandatum peregissent, aduersatæ fuissent charitati: hoc est Vocationi omnium generali. Vocamur enim omnes ad officium charitatis. Deinde habuerunt rationem vocationis suæ particularis: vocatæ enim erant obstetrices vt fungerentur suo munere. Munus autem erat infantes seruare non occidere: Quod item vtrunque spectauit Abdias, qui Prophetas non modo non interfecit, sed etiam seruauit, & pauit. Neque aliter Apostoli, qui non modo non paruerunt edicto sacerdotum, sed contra fecerunt prædicantes Euangelium: quod quidem ad particularem ipsorum Vocationem & munus à Deo iniunctum spectabat.

Ad hunc modum hodie Principes profani, superstitiosi aut tyranni (quorum nimium multa exempla habemus) si velint pie (quorum adhuc extat non pœnitendus numerus) interesse sacris cœtibus, & iubeãt adesse superstitionibus impiis, videbuntúrne officio defuncti, si tantum abstinuerint à profana superstitione & impio cultu, nisi simul, omnem curam adhibuerint, vt intersint sacris cœtibus, audiant Verbum Dei, & communicent Sacramentis: quod postulat Vocatio Christianorum tam generalis quàm particularis.

Extat illustre exemplum 2. Paralipom. cap. 26. ex quo apparet non tantum non parendum esse, sed etiam fas esse resisti Regibus tentantibus impia. Ozias Rex voluit vsurpare munus sacerdotale. Huic non modò non est obsecutus Azarias Sacerdos, sed etiam restitit Regi, & illum cum octoginta Leuitis expulit. Azariæ certè cõstantiam probauit Dominus, eo ipso momento Regem lepra percutiens.

Ex iis perspicuè patet vera esse quæ initio posui: neque impiis neque iniquis Principum edictis parendũ esse.

Nunc

Nunc veniamus ad aliam Quæstionem, An liceat aliquando certis quibusdam de causis non modo non obsequi magistratui impia aut iniqua præcipienti, sed etiam illi resistere, quod plus est quam non obsequi. Omnes quidem Christiani pati debent, non inferre injurias. Sed non propterea sequitur, nunquam resistendum esse injuriam facienti.

Quæstio ergò est huiusmodi, An subditis liceat, bona conscientia resistere Magistratui impia aut iniqua præcipienti. Neque cum hoc propono diiudicandum, seditiosis, turbulentis & Anabaptistis faveo, in quos meritò animaduertunt pii Magistratus: Imò si dixero, licere aliquando subditis resistere etiam armis, si sit opus, Magistratui impia aut iniqua præcipienti, simul ostendam ita resisti seditiosis, neque seditiosos esse qui resistũt Principibus, politicũ aut Ecclesiasticum statũ turbãtibus. Nam qui resistit Principi seditioso, seditiosus non est, sed seditionem tollit. Sed vt facilius percipiantur omnia, hic statuendæ sunt aliquot propositiones & quasi fundamenta quæstionis.

Primum ergò animaduertendum est, esse quendam necessitudinem & obligationem mutuam inter Magistratum & subditos: quod licebit cognoscere si consideremus quænam fuerit origo, causa & finis instituendi Magistratus.

Certum est prius aliquos cœtus Populorum quam Magistratus extitisse. Populus enim sine Magistratu esse potest: at Magistratus nullus sine populo: & Magistratus creatus est populo, vt curator pupillo, & pastor gregi, nõ contra. Populus igitur creauit Magistratum non magistratus populum, creauit, inquam communi consensu, cum videret societatem humanam egere tali vinculo.

Neque omnes cœtus hominum qui vocantur populi, eandem formam tenuerunt constituendæ Reipublicæ & creandi Magistratus. Alii enim sic constituerunt Princi-

pes, vt interea vellent penes se esse summum Principatum: Alii delegerunt Optimates & nobilissimos, qui summam rerum administrarent: Alii qui ab vno pendere maluerunt, vnum tantum Regem & Principem constituerunt.

Non est autem probabile populum elegisse Magistratum vllum, vt quiduis illi liceret in populum: Imò populi semper obstrinxerunt sibi Magistratum & se etiam Magistratui certis quibusdam conditionibus. Ideò in constitutionibus Regum, & quando ineunt sua Regna proponitur illis certa forma concipiendi iurisiurandi, quæ continet conditiones, quibus regnat Rex, & quibus obsequitur Populus. Exemplum eius rei habemus in eo regno, cuius Deus ipse fuit auctor, non homines, scilicet in regno Dauidis. Deus enim etsi elegerat Dauidem & posteros eius, voluit tamen hanc formam interuenire, vt Reges scirent se certis conditionibus astringi, & populus item quibus legibus pareret. Formula peti debet ex hist. Regni Ioæ. Illic Iehoiadas dicitur sanxisse fœdus inter Deum, Regem & populum. Deus testatur se hunc populum agnoscere pro populo suo: populus item agnoscit eum pro Deo suo. Rex pollicetur se regnaturum secundum Deum. Populus pollicetur se obsecuturum Regi secundum Deum.

Idem etiam legimus de Iosia. Nam dicitur percussisse fœdus cum populo coram Deo. Eiusmodi quoque formulas conceperunt ab omni pene æuo Reges Christiani. Extant in historiis formulæ iurisiurandi Archiducis Austriæ, Regis Romanorum, & Regum Hungariæ & Imperatorum. Extat etiam formula iurisiurandi Regum Galliæ apud Aimoinum lib. 5. Quæ formulæ quanquam vitiatæ fuerint abusu Pontificum Romanorum & Regum tyrannide, manet tamen præcipuum fundamentum: nempe iurisiurandi fides & religio: quæ ad verum & veterem vsum reuocanda est. Iam consideremus finem, cuius causa creatus est Magistratus. Ne-

que enim de nihilo, aut propter se in eo gradu collocatur, sed propter salutem populi: scilicet vt terrorem incutiat malis & conseruet bonos. Ergò Aristot. Politicôn 3. recte comparat Regem gubernatori nauis, ob eam causam instituto vt sit secunda nauigatio: & quemadmodum Imperatori victoria, medico salus, sic moderatori Reipub. beata ciuium vita proposita esse debet: eò debet referre omnia.

Itaque cum in eum finem respexerint populi, cum Reges constituerent, si Reges ab illo fine aberrent soluta est obligatio populi: vt cum Reges sunt Tyranni, & ex bonis Principibus fiunt Caroli noni, qui res suas agunt non publicas, qui populum non seruant sed perdunt, non regunt sed lacerant. Debet enim intelligere Rex se populi caussa esse constitutum, non autem populum sui caussa. Ergò Imperium rectum esse non potest, quo sic consulitur Regi, vt noceatur Populo. Sed præter ea quæ dicta sunt, requiritur vt Rex habeat legitimam Vocationem: Hæc autem pendet ex institutis & legibus quæ apud quosque populos receptæ & constitutæ sunt. Itaque qui non est legitimè vocatus & secundum Regni instituta, sed vsurpat Regnum, ille aduersatur legibus. Quod quidem quasi præteriens & aliud agens dico in gratiam Lotharingorũ, ad quos cum Gentis instituto Regni successio pertineret, sicut tu nosti, à Valesiorum maioribus per vim vsurpata est, & in aliam familiam translata. Regum autem Vocatio multiplex est. Nam aut ex successione & hæreditario iure regna obtingunt: aut electione & populi suffragiis deferuntur: interdum etiam vtroque modo.

Et prudenter mihi videntur constituisse res suas Populi, qui hanc tertiam formam seruant. Nam hæredes sæpe, aut infantes sunt, & in potestate matrum, aut eorum qui inconsulta ipsorum facilitate abutuntur, aut certè improbi & indigni. Electio simplex, ambitum gignit & sæpissimè turbas & ciuilia bella.

Sed vbi hæc duo ita sunt temperata, vt non temerè repudietur familia, cuius regno iampridem populus assuerit: neque cogatur tamen qualecunque Regem, modo Regio sanguine ortum, quasi sessorem admittere, sed possit inquirere in successorem, an regno idoneus & Reipublicæ vtilis futurus sit: hoc demum temperamentum videtur optimum. Neque dubito quin principiò ita deferrentur Regna. Roboam mortuo Solomone Rex erat iure successionis. Conueniunt tamen omnes tribus, vt Regem constituerent ex familia Dauidis, quia ex alia familia non licebat, propter promissionem factam Dauidi & posteris eius. Ac quanquam decem Tribus, quæ defecerunt à familia Dauidis propter durum responsum Roboami, aduersus expressum Dei mandatum peccauerint, in eo tamen videntur meminisse suæ libertatis, cuius proculdubio aliquam rationem debuit habere Roboam.

His expositis, nunc ad quæstionem propositam venio, An liceat aliquando subditis resistere Magistratui: & quam latè pateat eiusmodi licentia. Itaque prius intelligendum est subditos omnes non esse eiusdem conditionis. Alii enim sunt subditi merè priuati: alii sunt subditi ratione superioris Magistratus, vt Magistratus inferiores.

Iam hic quæritur an sit aliquis ita summus Magistratus (proponamus Regem vel Imperatorem & αὐτοκράτορα) vt nullum supra se habeat præter Deum. Videtur dicendum esse Regem post Deum priorem esse: Concedo, sed non sine exceptione. Videtur enim populus à quo diximus primùm creatos esse Magistratus, ita tribuisse alicui potestatem, vt sibi ipsi summum ius reseruaret. Itaque existimo sibi benè consuluisse illas Gentes, quæ sic tribuerunt alicui summam potestatem, vt interea voluerint esse quoddam frænum illius potestatis, ne in tyrannidem degenerarēt Regna. Eiusmodi fuit potestas Senatus Romani, cuius frænum erat Tribunatus: & ea de re sæpe

certa

certatum est in Rep. Romana, ne degeneraret Aristocratia in Oligarchiam, quod tamen posteà euenit, cum necesse esset altitudinem immensam Imperii Romani mole sua ruere. Spartani habuerunt duas familias, ex quibus Reges creabantur, quorum frenum erant Ephori, id est Inspectores, quibus etiam licuit Regē damnare, si abuteretur suo officio, quod accidit Pausaniæ. Tales sunt in Imperio Romano Septemuiri, qui vulgò dicuntur Electores. Horum non solum ius est constituere Imperatores, sed etiam abrogare, quemadmodum factum est Vvenceslao, cui imperium abrogatum est, & factus priuatus: anno 1400. Extat apud Munsterum forma abrogationis. Eadem Reipub. forma constituta est olim in Gallia, adeo vt summa rerum non esset penes Reges, sed penes tres Status, id est penes publicum Regni Concilium siue Parlamentum, vt vocant in Anglia: ita vt non liceret Regibus bellum facere, aut imponere noua vectigalia, quin consentirent tres illi Status: in quibus non numerabatur Ecclesia, vt nunc: sed Iustitia, Nobilitas & Populus. Tanta autem eorum erat autoritas, vt Regem etiam nonnunquam deiicerent, propter luxum, scortationem, crudelitatem, auaritiam, ignauiam & similia. Atque ita deiecti autoritate Statuum Reges octo leguntur Childericus I. anno 469. quod in stupris & scortationibus ætatem consumeret: Eudo paulò post, quod sua potentia abuteretur ad sæuitiam. Alter item Childericus II. anno 679. Theodoricus anno 696. Chilpericus Rex 18. anno 750. Carolus Crassus propter ignauiam anno 890 Odo Rex 26. anno 894. Carolus simplex Rex 27. anno 926.

At Carolum nostrum perfidum & proditorem, opinor, non abdicassent: Rationem habuissent singularium ipsius virtutum, fidei scilicet, pietatis & iustitiæ. Veriti essent sanctā ipsius matrem, quæ omnia pro arbitrio versat & ipsius adulterum Peronem, qui etiam pro se sua vice gubernaculis assidet. Imò pluribus fortasse

abrogatum fuisset regnum, nisi oppressa fuisset Statuum libertas, quorum turpissima facinora possent pulchra & honesta vocari, si cõponantur, cum leuissimis scelerũ quibus Carolus illusit humano generi.

In Anglia etiam Parlamenta, quibus est eadem auctoritas, quæ olim erat Concilio Statuum Galliæ, sæpenumerò damnarunt Reges. Apud Romanos abrogatum fuit regnum Tarquinio ab adulterium, & meritò. Iaque sic statuo, cuius est ligare, eiusdem esse & soluere. Ac proinde vbi hic ordo constitutus est, vt quidam sint optimates & delecti à populo quorum auctoritate, tanquam fræno coerceantur Reges, illi tenentur obsistere iniquis Regum mandatis. Ac si sinant Regnum euadere in tyrannidem, perfidiosi sunt. Nam ea lege à Populo constituti sunt, vt caueant ne id accidat. Quod si fortasse acciderit, tunc priuati debent confugere ad Concilium statuum, vt optimum remedium aduersus Tyrannidem. Nam tres Status sunt supremi Magistratus, & suprà ipsum Regem, ex veteri Gallicæ & Franciæ Gentis instituto.

Sed quid si ius illud concideriț socordia populorum? Hic respondeo, quod ipsi Reges toties habent in ore. Non est præscriptio aduersus Regem. Ergò neque aduersus status & populi iura, à quo populo Regum electio & auctoritas pendet. Et cum edicta sint sancita solenni more, & Rex ea approbauerit inauguratione, certum est si quid postea contra fiat, id fieri contra leges. Paulatim quidem in Gallia oppressa fuit ista communis Concilii habendi libertas & translata partim ad Consilium priuatum, vt vocant, quod compositum est magna ex parte ex auaris, ambitiosis & ministris tyrannidis: partim ad Parlamenta, quæ omnem Statuum auctoritatem oppresserunt. Vix tamen possunt adhuc bene proferri 60. anni ex quo penitus oppressa fuit: & Reges prorsus excusserunt frænum. Sed, vt dixi, nullo temporis spatio potest præscribi aduer-

sus

ſus iura populi: vt Reges, qui malis artibus & Regni legibus violatis libertatem Statuum opprimunt, iam non pro Regibus, ſed pro tyrannis & conſceleratis Reipublicæ hoſtibus habendi ſint.

At fortaſſe, dicet aliquis, Status non poſſunt conuocari, aut nolunt: aut ſi conuocentur ea eſt corruptio, vt, quod plerunque fit, maior pars vincat meliorem.

Quæritur ergo, An liceat vni parti ex illo Statuum corpore, quod licet toti? Veluti vni ex tribus Statibus, aut vni parti trium, reliquis non conſentientibus: Reſpondeo, non licere. Conſequeretur enim magnum periculum & ſæpe diſſiparetur populus, ſi vni parti liceret quod toti. Idcircò enim tres electi ſunt, vt omnia fierent ordine & iudicio, & ne diſſipatio oriatur ex diſcordia: Quid ergò licebit parti?

Dico in hac ſpecie oportere diligenter conſiderare quid petatur, qui ſit finis & quæ cauſa querelarum: oportere etiam vt æquitas cauſæ bene liqueat. Deinde non licet parti quod licet toti: nempe abrogare ipſum Regem ab imperio: Sed licebit parti ſeſe ſubducere ab illius ſubiectione iuſtas ob cauſas, & ſeſe tueri aduerſus tyrannidem. Id ego confirmabo rationibus & exemplis.

Primùm iniquiſſimum eſt, vt ſi alii nolint ſibi conſulere, ii qui ſapiunt non poſſint ſibi ipſis conſulere. Sit ergò aliqua ciuitas, ſint aliqui magiſtratus inferiores, ſint aliquot nobiles qui hoc videant: ſi fungantur ſuo officio, & reliquos ſocios admoneant; ſi illi remedium negligant & moniti velint perire: hi verò nolint, neque tamen aliter poſſint auxilium à legitimo Ciuium nouentu impetrare, ad coercendā Tyrāni libidinem, quemadmodum hodie, Concilii publici ſtatuum libertate & auctoritate pridem oppreſſa tyrannide, tùm licet illis bona conſcientia ſeſe ſubducere ab Imperio Tyranni: non autem illud penitus abrogare, quod licet toti non parti.

Exempla ſumantur ex aliis conſuetudinibus. In iure cauetur vt, cum mutua ſit obligatio inter Seniorem & vaſſallum, vt quibus de cauſis Vaſſallus amittit feudum, iiſdem de cauſis Senior amittat dominium: Idem ius eſt Regum & ſubditorum: Subditi enim ſunt veluti Vaſſalli, Reges veluti Seniores & domini à quibus illi pendent & eo nomine illis fide & obſequio deuincti ſunt, quia bonũ publicum procurant. Sed aliud exemplum conſideremus Magnum erat & pene infinitum imperium dominorũ in ſeruos. Si tamẽ dominus ægro ſeruo ſuo non cõſuluerit, manumittitur: quemadmodũ in legibus Romanis ſcriptũ eſt, ff. tit. quibus de cauſis manum. Quæ omnes leges ſanciunt, vt qui poteſtatem habet ea non abutatur. Subditorum conditio an peior erit conditione ſeruorum? Si ergo ex iure ciuili, ſeruus eſt liber, cuius dominus abutitur ſuo imperio, cur idẽ non licebit ſubditis? Heluetii ſubduxerunt ſeſe ab imperio domus Auſtriacæ, cui ſe obſtrinxerant certis legibus & cõditionibus. Non abrogarunt Imperium illius domus, ſed ſeſe ſubduxerunt ab illa, quod etiam domus Auſtriaca poſteà ratum habuit.

Rupellani fratres ſeſe olim ſubduxerunt ab Imperio Anglorum, & certis conditionibus ſeſe aſtrinxerunt Regi Galliæ. Eas conditiones & priuilegia Froſſardus recitat. Et quãuis id non ſit expreſſum in ſingulis Ciuitatibus ſunt tamen tacitæ conditiones iuriſiurandi, Si is cuius imperio ſubiiciuntur recedat ab illis conditionibus, licere ſeſe ſubducere ab ipſius imperio.

Exemplum eius rei vnicum habemus in Scripturis 2. Chro. 21 Ioramus exempla aliorum peſſimè ſecutus inuexit Deos alienos & deſeruit cultum Dei Iſraelis. Lobna ciuitas defecit ab illo. Erat autem ciuitas Sacerdotalis: neque fruſtra additur in hiſtoria cauſa defectionis. Nam ſi ſimpliciter damnata fuiſſet defectio, hæc cauſa non fuiſſet addita (quia deſeruerat cultum Dei Iſraelis) quæ referenda eſt ad fœdus quod ſanciebatur inter populum & Regem.

Rex

Rex pollicebatur se regnaturum secundum Legē Do
mini: Populus se obsecuturum Regi regnanti secundum
dicta Domini. Lobna igitur cum à solenni iureiuran-
do Ioramus recederet, & cæteri perfidè dissimularent
sese subduxit abillius imperio, sed non abrogauit illi Re
gnum: quod ad totum corpus populi pertinebat.

Sed hic aliquid peculiare obseruandum est. Quæstio-
nis enim pars est, An id intelligendum sit propter politiā
violatam, an propter religionem? Nam Euangelium pa-
tientiam præcipit, & ferre iniurias non facere. In poli-
tia videntur plura licere, propter mutuam obligationem
Populi & Magistratus. Sed ex adiuncta ratione defectio-
nis Lobnensium, nempe propter violatam religionem à
Rege, videtur etiam id licere in caussa religionis. Dico
ergo & quidem verbis D. Petri Martyris doctissimi
Theologi, qui ante tumultus Galliæ scripsit, & si hodie
adhuc viueret, eadem proculdubio scriberet, Hæc sunt
eius verba in 3. caput Iudicum; Alii verò sunt, inquit,
quidem in Repub. loco & dignitate Principibus minores
at re ipsa potestatem superiorem eligunt certisque legi-
bus Reip. præficiunt, vt hodie ab Electoribus Imperii fie
ri videmus, & forte in aliis quibusdam regnis idem agi-
mr. Iis profectò licet si Princeps pactis & promissis non
steterit, cum in ordinem cogere ac vi adigere, vt conditio
nes & pacta quæ fuerat pollicitus, compleat. Idque vel ar
mis, cum aliter fieri non possit. Hoc loco notandum est
Martyrem loqui de toto, non de parte.

Ac certè pluris apud nos esse debēt iura diuina quàm
humana. Magistratus est constitutus inquit Apo. vt sit
terrori malis. An non peiores sunt qui turbant iura
diuina quam qui humana violant? Itaque si licet sub-
ditis sese subducere ab alicuius Tyranni Imperio pro-
pter politiam violatam, quantò magis propter viola-
tam religionem, quæ est præcipuum vinculum societa-
tis humanæ?

Deinde si vitanda est seditio in Politia, multò magis

in Ecclesia. Nam societas quæ fit vinculo Spiritus, multò sanctior est omni politia. Itaque si in Tyrannide Ecclesiastica, quæ violauit ordinem Ecclesiæ, qualis est Papæ tyrannis, cum non licuit colligere generalem & liberam Synodum (quæ idem est in Ecclesia, quod tres Status in Republica, & si licuisset cogere Synodum, illuc fuisset recurrendum: sed oportuisset hoc petere ob ipsis tyrannis, & ita Papalis tyrannis confirmata fuisset) Si igitur quia non potuit cogi, licuit parti se subducere ab illa tyrannide: & pars illa non est existimanda Schismatica. Nã Papa potius seditiosus & schismaticus est, qui violat iura diuina & humana, & opprimit libertatem Ecclesiæ: Si hoc, inquam, licuit iis, à quibus geniti sumus in Domino, si hoc licuit parti, quia maior pars stertebat: Amplius ne tribuemus regnis & imperiis quàm illi societati? Ergò si illi non sunt existimandi schismatici: ita dico, vbi constat de periuriis, perfidia, crudelitate Magistratuum, illos non esse existimandos seditiosos, qui illis resistunt & sese opponunt, ius suum & libertatẽ patriæ tuentes.

Neque propterea inuehitur à me ἀταξία neque ordinum & dignitatum confusio. Hæc enim quæ dixi spectant ad inferiores Magistratus, & ad eos qui aliquam partem Statuum sustinent, quorum, vt dixi, auctoritas supra ipsum Regem eminet. Ferendæ quidem sunt iniuriæ priuatis, & malum etiam bono rependendum. Hic autem non ago de priuatis, sed de iis, quorum officium est resistere tyrannis. Neque enim Magistratus inferiores eo numero censendi sunt quo merè priuati. Ac si omnes Magistratus sunt à Deo, quanuis inter eos sit distinctio quædam & diuersi gradus, tenentur inferiores Magistratus præstare quod est suæ functionis. Neque culpa aut improbitas summi magistratus excusabit inferiorem coram Deo, cui debet rationem reddere muneris sui.

Præ-

Præterea tametsi concessero inferiorem magistratum ratione superioris esse tanquam priuatum, tamen manet quod dixi hanc curam videlicet etiam pertinere ad superiores Magistratus, quales sunt in Germania Electores, in Gallia 3. status, apud Romanos Tribuni, apud Lacedæmonios Ephori, quibus omnibus ius erat in ipsos Reges animaduertere. Itaque cum in Gallia auctoritas trium Statuum oppressa fuerit tyrannide, inferiorum Magistratuum est denuo reuocare hunc ordinem, qui sine populi consensu non potuit immutari: aut si non possunt, subducere se ab Imperio Tyranni, qui populi libertatem per vim & scelus opprimit: quod ego satis ni fallor, exemplis & argumentis licere demonstraui.

Historio. Mihi quidem abundè satisfeciſti: & ea me audiuisse ex te vehementer gaudeo. Nam ita mihi planè iustificari persuadeo fratres nostros, qui Rupellæ, qui in omnibus Galliæ, quàm late patet, Prouinciis, à se volentiam Tyrannidis propulsare conantur, qui Tyranni superbiam pertæsi, aduersus satellitum ipsius vim, præsidentium latrocinia, harpyarum & publicanorum auaritiam, probra & infamiam Aulæ ipsius seipsos defendunt: denique qui Carolo nono (qui vnus omnes quæcunque deploratis Regnis calamitates accidere possunt, complectitur) & ministris libidinum ipsius se se strenuè opponunt.

Polit. Imò debent & omnes illis adiungere, qui cupiunt non tantum saluam libertatem, sed aliquam incolumitatem Regni. Iis verò qui stertunt, aut ignauia, aut timiditate, meritò dicetur quod Debora dicit de Meros Iudicum 5. Propterea quod se non consociasset Israeli ad debellandum Iabinum Regem Chananæorum. Interea Dominus cœptum opus non omittet, donec illos in plenam libertatem per se ipse vindicauerit, cuius rei præclara iam ab ipso fundamenta iacta sunt, sicuti tu audies.

Quamobrem redde quæso, si quid tibi restat, & expedi paucis, vt mihi quoque ad casus meos & professionis meæ successum narrandum aliquantulum spatii supersit.

Historiog. Ego verò libentissimè. Sed vtinam te Heluetiorum Papistarum Principes in suo Senatu differentem audiuissent de Iusta fratrum nostrorum causa, de Magistratuum potestate, & quàm latè pateat. Etenim non dubito, adductos his argumentis cum aliis rationibus iunctis, propter quas Tyrannorum vires meritò suspectas habent (qui neque legibus, neque fœderibus, neque pactis parcunt, dum Imperii sui fines tam late extendant, quantùm gladio possunt metiri) minimè dubito, inquam, Ducum suorum auaritiam & ambitionem fuisse frænaturos, ne illi ciues suos ad lanienam ducerent. Sed quod iam factum est, id infectum fieri non potest. quanquam pro certo habeo, non multum ista expeditione nostris nocituros.

Polit. Imò verò futurum spondeo & confirmo. Neque illis propius accedendi Rupellæ muros animus fuit, quam vt tormentis assiderent: aut si forte aliqui audaciores promptius subierint, ita comiter excepti sunt, vt nihil referrent præter vulnera. Sed hoc tamen damni iam & sibi & nostris inferunt. Ipsi amantes alioquin libertatis, vt nobis nostrã eripiant, non dubitant vulnera pati & mortem oppetere, alienum interçà agrum populando. Tum si forte domum redierint, aurũ Gallicum secum deferũt, & sudores miserorum Galliæ ciuium. At si possent aliquando discere quantùm interfit inter Tyrannum & Regem, tyrannidem & Coronam (vt vocant imò inter Regis & ipsius regnum: nunquam tam turpiter se decipi sinerẽt, nunquam eò amentiæ venirẽt, vt propter libidines vnius tyranni, & vnius scorti furiosos appetitus vellent tantùm tam potens Galliæ regnum violare ac perdere.

Historiog. Facile adducor vt id credam. Sed, vti dixi, nunc id quidem peccatum est: alias fortasse prudẽtiores erunt.

Sed

Sed quantùm ad Euangelicos Pagos ſpectat, tantum abeſt vt de ſuis hominibus aliquos ad iſtud bellum miſerint, vt ſeuerè interdixerint, ne irent pœna capitis conſtituta: edixerintque, vt in armis præſto eſſent ad rerum ſubita & ad omnes ſtrepitus intẽti: adeò proximis poſt Cædem diebus, ingentem pauorem conceperant animis, vt omnino expectarent fore, vt mox denſus iſte nimbus & grauis coorta tempeſtas rebus ſuis incumberet. Atque hic etiam metus, ne ſcilicet ad bellum ciuile Catholicos Pagos aduerſum ſe incitarent, qui iam apertè Tyranni partes fouebant, prohibuit quò minus ſubſidia noſtris mitterent, quanquam ingenuè fatererentur ſe ad illud officium præſtandum diuinarum & humanarum legum vinculis obligari: ſe vicem noſtram pro eo ac deberent, plurimùm dolere: neque quantum in ſe ſitum eſſet, vllum humanitatis officium exulibus Gallis denegaturos, atque omnibus piis profugis in ſua ditione tutam & quietam ſedem conceſſuros: cæterum à ſe plura & maiora in præſentia nõ poſſe præſtari. Iam Baſileæ & Bernæ fuiſſe humaniter & honorificè exceptos Caſtilionæos filios Amiralii, & Lauallium Dandelotii filium, Dominos Andeloriam, Tellimiam, & Lauaiam, compluréſque alios nobiles viros & exules Gallos: & non pœnitendum Miniſtrorum verbi numerum, quos in ſuis finibus ſuis ſumptibus & ſtipendiis publicè alant.

Pol. Deum ego mirificè laudo, quod charitatis ſtudium ſaltem in Nobilibus illis adoleſcentibus & Principibus cæteríſque fratribus Gallis liberaliter excipiendis exerceant.

Non alia melius ratione poſſent nec clarius acta Tyranni damnare, & irritas eius proſcriptiones & furores facere, quàm cum eiectos & calamitoſos in fidem ſuam & clientelam recipiunt.

Hiſt. Et quidem ita, vt facile credas id ab ipſis libenter fieri: Similia etiam faciunt Principes Proteſtantes & Regina Angliæ per totum Regnum omni humanitatis

officio prosequitur, indigenisque & subditis suis perfugos & peregrinos commendat.

Pol. Deus illis, aliisque omnibus, qui simili charitate erga pios vtuntur hilariter, illud præmium eámque gratiam pro ista beneficentia reddat, quam promisit propter Christum Dominum nostrum.

Hyst. Amen. Ego verò, quæcunque mea ista legatione egi, exposui: paucis quibusdam secretioribus exceptis, quæ in mandatis habeo, vt iis significem à quibus missi sumus. Tuæ iam sunt partes amice, vt mihi vicissim peregrinationis tuæ historiam narrando exequaris.

Pol. Aequum postulas. Nunc igitur attendito.

Cum propinquarem Galliæ, & quacunque iter faciebam, omnibúsque diuersoriis rumor increbuisset, passim in Gallia agros & vrbes ipsas cædibus & latrociniis infestas esse: illud ita insedit animo, & penitus infixũ est, vt quo longius procedebã, eò mihi magis viderer ad præsentem mortem ire, aut in quoddã chaos & barathrũ demergi. Parum certé abfuit, tãta erat animi mei imbecillitas, quin viæ pertæsus, repeterẽ ea quæ erã emensus, spe legationis obeundæ prorsus omissa. Ac nisi Deus, quem tunc orauí, mihi robur & animum addidisset ad superandas omnes difficultates, iter retrò flexissem potius instar Ionæ, quàm vt munus meum exequerer. Sed tandem superato metu periculum tentare ausus, simulatq; in Galliam veni, extemplo intellexi me in Regnum aliquot belluarum incidisse, vel potius perfidorum & latronum speluncam. In primo diuersorio in quo exceptus sum, audiui quendã conquerentem de annonæ caritate: vnũ item & alterum, qui sic diceret: Magna ista vectigalia, ingẽtia tributa quæ subinde variis incrementis geminantur, non perdunt, nos arrodunt. Tum noua æris conficiẽdi inuenta quæ isti molles & prædicones Itali excogitant & Regi afferunt, vt exugant sanguinem & sudorem populi, nos in extremam pernicié adducunt. Eant in malam pestem isti

iſti Athei: qui nõ alia de cauſa in Galliam veniunt, niſi vt pellẽ & cutem nobis detrahãt & hauriant ſanguinẽ infelicis populi. Alii cũ cũ charta, calamo, & libro rationum imaginario, quaſi per ſpeciem faciendæ verſuræ, menſas vel Lutetiæ, vel Rothomagi, vel Lugduni erigũt: tũ dein de multo ære alieno contracto, eludunt creditores & euerſa repente menſa cedunt bonis. Quæ poteſt reperiri breuior via cogẽdi æris? quæ facilior ratio in eam dignationem & faſtigium enitendi, vt quis ſummos Principes etiam potentia & autoritate anteeat: Neque longius petendum eſt eius rei exemplum quam ex Perone, ſiue ex Comite Retio. Tum alius qui forte aderat: falleris (inquit) non eo modo quo putas in eã potentiã peruenit bonus ille vir: An neſcis quod vulgari prouerbio fertur?

Mollibus obſequiis Regum ſecreta parantur;
Cui ſecreta patent, mox quoque mœchus erit.
Qui leno, qui ſeruus, qui mox euaſit adulter
An non hac magnas arte parabit opes?

Iis nimirum facinoribus captatur dominatio. Regina mater, poſteaquã in iſtum Italũ exarſit, & admiſit inter præcipuos adulteros, cõtinuò digniſſimũ exiſtimauit cui claritudinẽ domus ſuæ illuſtrandã cõmitteret, qui Maieſtatẽ filiorũ ipſius extolleret, qui Galliæ ruinas erigeret, qui regnũ hoc corruẽs fulciret, quod à Guiſiis cõuulſum & labefactatũ erat. Hic alius è vulgo: Quis tandẽ (inquit) iſte de quo agitis? num de Landerico illo, de ſpurio, de Perone! Eat in malam crucem ignobilis, cum ſuo ſcorto, cum ſua Brunechilde. Ipſi duo plus Galliæ intulerũt mali, quam omnes ſimul Lotharingi & Guiſii. Illi tum ſpargebant meras roſas, prævt nunc iſti faciunt, qui miſerum populum ſpinis & rubis fœdè lacerant. Præterea Lotharingi & Guiſii Principes ſunt multis vinculis & neceſſitudinibus Galliæ coniuncti: ac fortaſſe fieri poteſt, vt Gallia ad illos ſpectet & illis cõiungatur. Sed duo iſti Florentinus & Florentina, cum illo aſino & cinædo Cancellario, quem elegerunt. Tres illi Itali tam

illustres: omnes satis sciunt vnde orti sint. Sed consilia ipsorum & occultos dolos pauci dem ùm norunt. Tum alius, Nescio, inquit, quàm apertè pateant: sed hoc scio nos planè caudices & stipites esse, nisi dudũ sentiamus: Ipsi, ipsi sunt, qui cum Gonzaga & Lansaco nos in has miserias demerserunt, quæ nos omnes obruent. Addite etiam si vultis huic cohorti Regem ipsum, & lepidum illum Regem Poloniæ destinatum: vix positis internoscere quis istorum dolo perfidia, sæuitia, luxu alter alterum antecellat.

Vtinam Deus aliquando concedat, vt in eos more maiorum possit animaduerti. Parricidæ olim in culeum insuti cum gallo, angue, & simia in profluentem mittebantur. O quam appositè & meritò in Carolum parricidam posset edi istud exemplũ supplicii parricidarum! Catharina quidem anguis vicem rite sustineret, Dux Andicus galli, Comes Retius simiæ: istorum quatuor pœna posset expiari Regnum: cæteri facile supplicii metu continerentur: & paucis mensibus tota Gallia nebulonibus & sceleratis purgata pristinum nitorem reciperet.

Hic hospes ipse: Rupellam (inquit) obsessum eant: scitote non omnes redituros: nisi forte haud magis in cœlo iuris & æquitatis est, quam in Gallia. Isti tamen compti & formosuli non sunt tam promptæ ad omne discrimen audaciæ, vt ante primores pugnam cieant, & se immittant in confertos hostes: quippe ictus & vulnera metuunt Tyranni. Sed alios ignaui præ se impellunt & ire fortes in hostem iubent, vt illorum vulneribus, tanquam iucundo spectaculo sese oblectent. Hæc ergò sunt Gallorum præmia, quorum vt superuacuo & sordido abutuntur sanguine.

Heu quot fortes & nobiles viri quam multi milites ibi cadent? Quæ miserabilis conditio? quam grauis iactura Galliæ? Nam ita patronis ac defensoribus & suis quasi lacertis spoliatur misera, vt si qua forte nos externa vis

na vis adorta fit, eam haud maiori mole suæ ditionis facturus sit hostis, quàm si in vacuam possessionem veniret.

Nunc potiorem partem colloquiorum & sermonum qui passim per diuersoria, ad mensas, & focum spargebantur tenes.

Cum autem non absque horrendis blasphemiis id fieret, hoc me admodum cruciabat, cùm quis essem, aut quas tutarer partes aperire ne tantillum quidem auderem. Interea dum in instituto itinere pergerem, & subinde occurrerent qui similia tractarent, Dei nutu factum est, vt duo Nobiles (olim Hugonoti, tunc autem tanta laniena perterriti in speciem Papistæ) mihi fierent obuiam, egregiè equis & armis instructi, vt qui Rupellam ad Regis castra pergerent: minimè quidem inimico in obsessos animo, mortem exoptantes (vt ferebant) priusquam subiret illorum animos hæc cogitatio: verùm vt quominus illorum bona fisco Regio addicerentur impedirent, ne etiam nobilitatis priuilegio spoliarentur, ex præscripto Regii diplomatis per Galliam vniuersam publicati in omnes Nobiles, qui castris interesse recusarent.

Itaque se hac ratione & sibi & familiis cauere, ægre ferentes nostros tantis affici in tota Gallia calamitatibus, assiduis etiam gemitibus summum libertatis recuperandæ studium præ se ferentes, etiam cum vitæ suæ dispendio si opus foret. Tum illi me de Sancerræ obsidione (quò iter instituceram) certiorem fecerunt, de Rupella idem etiam affirmantes, vt facilè intelligerem nulla ratione ad oues mihi patere aditum, nisi per medium luporum agmen eo ipso momento quo auersi essent hostium animi ad oppugnandam vrbem: vnde magnum mihi imminebat periculum.

His intellectis, & post ea de obsessorum statu admonitus, illis nimirum neque vires, neque animum deesse, frumentique satis esse, iter ad Delphinates flexi: quos

variis in locis, & ſub variis ducibus quaſi palátes reperi: ex illis namque alii montes, cæteri planitiem, prout quiſque poterat, occupabant, variis pagis & caſtellis diſſiti. Præcipui illorum duces erant Monbrunius, Mirabellus, & Lediguierus, cum aliis quibuſdam Nobilibus, qui quoſcunque potuerant ex fidelibus pro tempore, & locorum opportunitate coegerant: illi vtcunque armati ancipiti marte pugnabant.

Poſtquam autem præcipuis Ducibus ac toti conſilio legationis meæ ſummam aperuiſſem, cum ſinguli meauidis auribus auſcultaſſent, pluribus verbis & Deo & Eccleſiæ à qua dimiſſus eram egerunt gratias, eo nomine potiſſimum, quod in hac tanta rerum humanarum deſperatione ſupereſſent, qui miſericordia permoti vicem illorum dolerent. Salutaria in primis Danielis conſilia, & omninò neceſſaria intellexerunt: cum autem in illis aliquid ineſſe difficultatis exiſtimarent, præſertim cum ea in effectũ producẽda ſunt: cum antè hac paruam, aut nullam libertatis ſuæ cognitionem habuerint Galli, vt qui ſint in ſeruitute educati & Regiis præfectis obedire coacti, qui hoc paſſim inculcant populo, (hoc Regi placet) petierunt à me, vt illis liceret vicinos fœdere iunctos prius conſulere: cuius rei gratia, vnus ex illorum numero, mihi ſeſe adiunxit itineris comitem, cum quo Nemauſum profectus ſum: vt vnà in conſilio Nemanſenſi, vterque noſtrũ ſuæ legationis cauſam exponeret: eo præſertim tempore, quo illi de vrbium noſtrarum ſtatu, & gubernandi ratione (miſſis ad hanc rem vndiquaq; legatis) decernere, & ſociatis conſiliis ſtatuere in animũ induxerant. Fatebantur quidem ipſi Delphinates, ſe maximopere duobus illis neruis indigere, quibus & vitia coerceri poſſunt, & milites in officio contineri: diſciplina videlicet militari, & diſciplina Eccleſiaſtica: cæterum ſe ſatis reliquis inſtructos rebus, quæ ſolent hominibus animum & vires ſuppeditare: primùm iuſta belli gerendi occaſione, quæ ſolet animum confirmare & magnanimos

mos efficere homines: deinde necessitate repellendæ iniuriæ, quæ solet etiam imbelles & ignauos strenuos reddere, vt non solum fortunas sed etiam vitam, famam, salutem suam atque liberùm, cõtra fœdifragos, & furiosos vltrò pius bellum inditentes, & humani cruoris sitientes tueantur. Hoc etiam addebant, nunquam se hostibus fidem habituros, neque vt antehac arma posituros, quæcunque tandem de pace agitentur, nisi dentur obsides, aut firma pignora quæ possint cohibere istos perfidos, & in humana figura Dæmones, siquidem adhuc furere velint. Cum autem illo ferè tempore Gordius (in Delphinatu præfectum agens) ad quosdam Duces amicè admodum scripsisset literas, quibus illis montes aureos pollicebatur, dummodo ab armis discederent: inter illos qui aderant vnus iuuentus est, qui ægrè hoc audiuit, (nostros nunquam deposituros arma) ratus hoc esse subditorum officium, vt ad Tyranni imperium arma deponant: non enim, rerum quippe imperitus, videbat illo stratagemate hostes Ecclesiæ ante hac semper vsos, vt armis spoliatos pacis obtentu incautos opprimerent: quod sæpissime nostro periculo experti sumus. Istius sententia, cæteris adstantibus, vt de hac quæstione vltrò citróque disceptarent causam præbuit: cuius videlicet sit prius arma deponere, hostiúmne, an nostrùm.

Variè, & in vtramque partem agitata quæstione, tandem surrexit doctus quidam adolescens, non minus literis quam armis pollens, qui sententiam rogatus, in hæc verba orationem habuit. Si iure agatur, nemo non fatebitur, iniustè requiri à læso, vt primus desinat manu aut clypeo seipsum tegere, & illo pacto ictus propulsare, ni prius qui vulnus inflixit, ac lædere pergit finem percutiẽdi faciat. Cùm enim omne animal à natura hoc insitum habeat, vt se, vitam corpúsque tueatur: ille etiam est naturalis ordo, vt qui vitam vult adimere, prius desinat, & finem faciat, quàm ille qui seipsum strenuè conatur defendere: hic enim tantisper timet,

dum illum videt armatum, à quo læsus est. Itaque vt melius explicetur quæstio, hoc imprimis inspiciendum, quis iniuriam inferat & quis illatam propulset. Nemo nescit, Gallos omnes qui Religionem profitentur aliquot mensibus ante postremi huius belli ciuilis initium, magnam dedisse significationē, in illius fide se conquiescere, quem Regem optimum & propitium arbitrabantur, cum longè etiam ante præfinitum diem vrbes ad pacis confirmationem datas deseruerunt, in quibus tutò, contra hostium pacis impetū esse poterant, neque illorum in Regem fiducia fuit amoris expers, quem spontanea, & expedita obedientia testabantur, pacato erāt omnes animo, & ita obliterata erat belli memoria vt armorum cogitationem omnem ex animo abiecissent. Sed ô inauditum scelus! vicesima quarta Augusti die, anni 1572. iamdiu meditato, & inito inter perfidos consilio, euocatis in aulam Principibus, Amiralio, & cæteris Nobilibus, veram Religionem profitentibus, illis etiam fide publica & Regni data à Tyranno, (eo ita simulato vultu rem agente vt etiam Papistis imponeret) ea inquidie, Nobiles & cæteri de plebe veram Religionem amplexi, passim tota Lutetia trucidantur: hoc exemplo permotæ præcipuæ totius Regni vrbes, cædes infinitas patrarunt, contra volūtatem Carol. noni (scilicet) siquidem prioribus literis ab illo missis ad prouinciarum præfectos fides habenda sit: cum multo secus res se habeat. Illius enim satellites aulici, ipsi etiam inferiores magistratus, à minimo ad summum, palam, in conspectu Dei, & hominum cædes imperabant, & faciebant ipsi: hanc esse Regis voluntatem dictitantes, & scripto Regio comprobantes.

Hoc pacto fiebat, vt ab iisdem necarentur Religiosi, quorum fidei se committebant. Itaque paruo temporis interuallo, ferè omnibus veram Religionem profitentibus, vita fuit impiè adempta: nullo aut sexus aut ætatis habito discrimine. Qui autem erāt superstites, ne adhuc quidem

quidem armis se accingunat: verùm pars aufugere: cæteri, natura duce vrbis portas occlusere hostibus vitæ suæ insidiantibus, & omnia passim vastantibus: freti potissimum Regiis literis, quibus testabatur à Guisianis Lutetiæ factum fuisse cædis initium, quò Amiralii eorum artibus sauciati, vindictam anteirent. hoc secum reputantes, nunquam Amiralii necessarios, tanta facinoris atrocitate permotos, hoc inultum relicturos. Freti igitur Regiis declarationibus, quibus se inuito & insscio hanc factam cladem testabatur, ideo consilium ineunt de occludendis suarum vrbium portis, & propulsandis hostibus, cum magna manu aduentantibus.

Itaque tandem, multis querelis ad Regem missis, cum hostium gladios fratrum sanguine madentes, ceruicibus suis imminere conspicarentur, rationem ineunt, qua sibi, & familiis prospiciant. Vnde liquidò constat, illos ad sui defensionē arma sumpsisse, non vt aliis aliquod crearent, sed vt à se propulsarent periculum: vnde sequitur illorum esse prius arma deponere, qui nostræ vitæ insidiantur, & per nostrum latus Christum cum suo Euangelio perfodiunt.

Lege ciuili hoc seruo etiam captiuo licet, vt domino volenti illum gladio ferire, fores occludat, etiam domus herilis? quod si velit dominus, fores effringere, licet etiam seruo, pessulo, aut repagulo fores obdere, & firmare, denique herum prohibere aditu, vt suæ vitæ consulat. Quod si qui vim conatur inferre, non sit herus, sed conseruus qui heri nomine necem ostentet, non dubium est, plus concedi iuris seruo innocuo, vt se tueatur, & vim furentis illius conserui repellat.

Si autem adhuc furit, & exertum habens præ manibus gladium, dicat conseruo, Aperi, nulla à me tibi fiet iniuria: (cum tamen longe aliud cogitet) quis iure arguat innocentem si sic regerat? Depone gladium, tum ego fores aperiam: videt enim si aperiat sibi moriendum, aut per fenestras saliendum, cum magno vitæ periculo. Er-

go optima ratione se domi continebit, non admisso carnifice.

Reges pii vocantur patres populi: vnde sequitur illorum esse partes, vt subditos pari cura cum filiis foueant.

Lex autem quæ Dominis potestatem vitæ & necis in seruos concesserat, posteris temporibus fuit Imperatorum decretis temperata: neque vnquam patribus hoc licuit in filios: vnde constat maius acquiri ius filiis, quam seruis, cum non sit æqua potestas dominorum & patrum.

Itaque adducamus patris exemplum, patris, inquam, si tamen hoc nomine dignus sit, crudelissimi & furiosi, qui filios indignis modis tractarit, ex illis quosdam omni humanitate valere iussa iniustè necarit. Quid animi credimus esse cæteris fratribus, qui patrem armatum conspicantur, non modo ira percitum, sed furibundum, gladium gestantem filiorum sanguine madentem, quos vident humi prostratos patris iussu, qui se autorem cædium profitetur, & crimen palàm in confessu supremo Curiæ suscipit, neque solum verbo, sed scriptis se cædis autorem & Principem (quasi re bene gesta) audet profiteri. Quid inquam illi? quid animi habebunt? poterunt ne illum patris loco habere, cum ad illius conspectum horrescant? Ne id quidem. Hoc erit ergo patris officium, siquidem velit cæteris filiis vitæ spem facere, vt in primis arma abiiciat, lictores & carnifices dimittat, eos autem male multet, qui illius iram in propriam familiam accenderant, & exacuerant: vt pœnitentia ducatur, peccatum & scelus à se patratum abominetur, nihil tale facturum in posterum polliceatur: ad cæteros filios accedat, illos blandè alloquatur, & timore perterritos consoletur, vt eos qui abalienato prius erant à se animo, denuo sibi conciliet.

Tunc haud dubiè filiorum corda mollientur, & manantibus lachrymis ad patris pedes procumbent, perfusique

fusique gaudio patrem amplectentur. Si quis autem obiiciat, hic agi de Regis existimatione, & fama, siquidem hoc egerit: ego vicissim regero, eundem immeritò patris nomen sibi vendicare, qui parentis affectum non gerat. cum ex effectis rebus nomina imponi soleant. Inter duello certantes, si quis arma primus abiiciat, hoc magno vertitur dedecori. Inter Principes infestis armis pugnantes, hoc plurimum refert, vter illorum prior ad extrema quæque redactus pacem patierit: tunc enim de finibus & imperio certatur, & quæritur qui viribus & armis erit potentior.

Cum autem patris iniquitate huc ventum est, vt inuiti filii arma ceperint, vt à patris furore se protegerent: hoc insuper erit patri ignominiosum, si à filiis arma extorqueat, illos pedibus conculcet, hoc inquam à patris natura est alienum, & se ea macula inficit, quam nunquam possit eluere. Hoc patris est potius officium, vt se benignum, & facilem præbeat, vt lenitate & misericordia eosdem sibi conciliet, quos prius sua crudelitate alienauerat.

Rex autem qui non hac via nititur, falsa existimationis specie & obtentu, decus Regium, & bonam famam perdit, magnámque suæ tyrannidis dat significationem: cum iniusta vi eminere vult, cum hoc potius curare deberet, vt pietate & iustitia populum regeret.

Optimi principes in tertis sunt non solum Dei vicarii, sed dii etiam in scripturis passim vocantur. A Deo autem, (cui tamen multo plus quam regibus debemus) sit diligendi initium: primus enim dilexit vos, neque possunt homines Deum diligere, nisi prius illos Deus amore prosequatur. Deus tanta est iustitia præditus, vt nunquam immeritò irascatur, prius tamen irascendi finem, quam nos peccandi, facit, & prius virgas abiicit, quam nos desinamus illius iram in nos prouocare. Prope primum amor & charitas inter cæteras virtutes locũ obtinet, quæ à perfectione suum ducit initium, vtpote

à Principe in ſubditos, à patre in filios, ſic deſcendendo, potius quam aſcendendo. Filii autem & ſubditi amore prouocati tum incipiunt quadam reflexione naturali, ſuum Regem aut patrem mutuo amore proſequi: eadem ergo ratione, qua patres & Principes debẽt amoris initium facere, eadem etiam debent (ſi quædam ſimultas aut amicitiæ calamitas interceſſerit) amorem, diffidentia omni procul amandata, redintegrare. Denique ſiue quid ipſum ius, ſiue quid Regium decus exigat perpendamus, hoc ſemper vtile erit, & neceſſarium vt prior Rex arma deponat: quod multo magis à Tyranno perfido, & proditore requiritur: à quo qui melius excipiuntur, ſeruorum, & captiuorum loco, contrà omne ius, & æquum habentur: quem melius dixeris prædonem, perfidum, populatorem, denique Tyrannum humano cruore ebrium: quam Regem, patrem, aut populi paſtorem? Adoleſcens verò, qui de hac quæſtione, ita perſpicue diſſerauerat, adeò prudens, & perſpicax (omnium calculis) eſt habitus: vt cæteri omnes frequentes ierint in illius ſententiam. Itaque quod initio ſtatuerant, communi ſententia fuit comprobatum: nunquam ſcilicet ab armis diſcedendum, quandiu Tyrannus ſuis carnificibus ſtipatus, illis bellum inferret, idque duabus de cauſis: prima vt famæ, & exiſtimationis Caroli regis ratio habeatur, qui (patris more) qualem ſe audet appellare, debet pro officio, primus arma deponere: Secunda, quæ quidem videtur eſſe potior, vt ſe & ſua omnia ſarta tecta cuſtodiant.

Reuocabant namque in memoriam, quid Nancæus, Regii ſatellitii præfectus, Lanienæ die, Tyranni iuſſu feciſſet: euocatis Nobilibus, qui in Regis Nauarræ anteriori cubiculo erant, & Tyranni mandato, in Luparæ atrium eiectis, ante ipſius Tyranni oculos à ſuo ſatellitio interfectis. Hæc & ſimilia, à Tyranno patrata ſcelera, in memoriam reuocabant. Illorum etiam recordabantur quæ Amiralio (piæ memoriæ) ante ſuum obitum

fuerant

fuerant in tabula quadam propoſita, Cuius verba ſtatuerant alta mente reponere, & memoriæ mandare, ne vnquam excidèrent: rati illorum contemptum noſtris calamitatibus & miſeriis feciſſe initium.

Hiſt. O quam rectè iſti ſapiunt, addat illis deus & vires & animum: præſtat enim ſerò ſapere, quam nũquam quod ſi non ſit alieno periculo, ſaltem proprio fiat neceſſe eſt: licet nimio hoc ematur. Hæc inter Italos eſt vſitata ſententia: nullus te decipiet, ſi nulli fidem habueris. Si vero vnquam hac Italica aſtutia opus fuit, hac tempeſtate omnino videtur vobis præſertim neceſſaria: cum homines reperias, à quibus vix te expedias, etiam ſi vnguibus ac roſtro vtaris. Vidẽtur enim potius ferarum mores referre, quam hominum: itaq; digni ſunt, in quos canes omnis generis, vtpote venaticos, villaticos, veſtigatores, moloſſos Gallos, & Anglos, immittas: cum neque diuinis, neque humanis legibus, illorum immanitas, & feritas cohiberi poſſit, Sed perge quæſo.

Pol. Re ita vti iam dixi deliberata, duo ex illis ſeliguntur, mecum in linguam Occitanam venturi, vt fidelibus illius regionis conſilium Delphinatum aperirent: viciſſimque à Nemanſenſi ſenatu intelligerent, quid facto opus eſſet, ad communem omnium ſalutem.

Itaque Nemauſum venimus, vbi conueniunt ex ſingulis religioſis vrbibus, legati, qui de communi omnium ſalute agant.

In illorum conſeſſu ego legationis meæ cauſam illis aperui: idem faciunt Delphinates. Senatus autem, cum aduentum noſtrum gratulatus eſſet, & pluribus verbis egiſſet gratias, quod longum, & infinitis periculis plenum iter, Eccleſiæ nomine ſuſcepiſſemus.

Iamdiu ſe de Danielis iudicio & decreto certiores factos dicunt, ſéque integrum Dialogum perlegiſſe magno cum gaudio aſſerunt: quòd in eo hoſtium artes, & technæ graphicè deſcribantur. Teſtantur etiam, ſe percupere Dialogum illum Tyranno legendum exhiberi,

vt in illo tanquam in tabula, suam impietatē, perfidiam, crudelitatem denique, agnoscat depictam: vt nisi vera (quod magis optarim) saltem falsa, & Iudaica pœnitentia perculsus, peccata & scelera sua fateatur & agnoscat: vt (si desit carnifex) sibimet manus inferat. Quem cum nō puduerit tantis se sceleribus commaculare, nō est quod quenquam pudeat, illa per vniuersum orbem publicare, & in lucem proferre, & illius vitam & mores integra historia complecti: quod iam docti quidam Catholici aggrediuntur, qui diligentius in vitam Tyranni, & matris inquirunt, vt melius omnia scripto complectantur, quod verum esse euentus comprobabit. Multi enim Papistæ aulicam vitam abominantur, propter infinita scelera, quæ Sodomæ nunquam fuere commissa, quæ tamen antehac inaudita quamprimum typis mandabuntur: vt quos, ante Dei oculos tam horrenda patrare non pudet, saltem homines vereantur, & timeant, tandémque vitam plus quam Diabolicam agere desinant.

Reperietur etiam breui, qui somno sopitam Nobilitatem, & vniuersum Galliæ populum, expergefaciat: illis planum faciendo, quantis latrociniis, vexationibus, & expilationibus, tyrannus Gallici populi sanguinem sugat, quantámque tyrannidem exerceat, non modo in religiosos, quorum non solum fortunis, sed vitæ tandiu insidiatur: sed etiam in Catholicos, quos omnibus modis vexat, & in vitæ discrimen vocat, tot iam sponte bellis ciuilibus inchoatis: in quibus infiniti illorum cadunt, vt iam vniuersa Gallia Gallorum madeat sanguine. Neque mitius agit cum Ecclesiasticis (vt vocânt) quos infinitis modis nudat: vt melius ipsum Religionē omnē veram & falsam ex animo expulisse agnoscas.

Itaque magna sum in spe, ex tanto captiuorum numero fore aliquos siue pudore, siue rei acerbitate excitatos, qui cum vitæ suæ periculo, patriam in libertatem vindicare conentur.

Hist. Isti digni censebuntur, quibus (vt solet patriæ li-

bera-

beratoribus)erigantur ſtatuæ: Neq; dubium eſt, quin tyranno expulſo, Regnũ vniuerſum quieſcat; quiſquis tandem illi ſuccedat. Neq; vero illius filius (cui Cambyſes propter impietatem & iniuſtitiã pellem detrahi iuſſit, vt illa ſolium illius obtegeret) tam fuit æquus, & iuſtus, quam futurus eſt ille, qui tyranno mortuo Regnum capeſſet, quiſquis tandem ſit: magno enim illi erit documento tyranni finis & tragicus exitus. Verumenimuero dic ſodes, quis tam breui noſtros cum Alethia ſermones non ſolum ſcripto mandauit, ſed etiam in lucem edidit?

Pol. Prorſus ignoro: neq; illud queo coniectura aſſequi, cum nullus in mentem veniat, præter Euſebium Philadelphum, qui olim noſtro colloquio interfuit? conſtat tamen illos antehac typis excuſos, etiã (vt fertur) à quodam Catholico Typographo, qui hunc Dialogum & alium de furoribus Gallicis libellum, typis mandauit, væ-númque expoſuit.

Hiſt. Multum illis debemus qui hac tempeſtate nobis addunt animos. Vtinam poſſint hæc ſcripta ſeptem dormientes excitare!

Pol. Intellexi equidem, multis iam profuiſſe, & ſcio adhuc profutura: iam enim feruidũ eſt ferrum, vt Gallico fertur prouerbio, reſtat vt cudatur.

Vt autem ad id, vnde digreſſus fueram, redeam: Senatus Nemauſenſis mihi ſignificauit, ſe ſummopere Danielis quadraginta articulos probare, vt maximè vtiles & neceſſarios, præſertim in quo agitur, de vtraq; diſciplina, & Eccleſiaſtica, & militari, quæ mutuas ſibi præſtant operas, ita vt alia aliam tueatur & protegat.

Imprimis autem laudabant Delphinatùm decretum, quo ſtatuerunt, ſe nunquam ab armis diſceſſuros, donec tyrannis non ſolum iniectis habenis coerceatur, ſed etiam funditus deleatur.

Interim ſe daturos operã, vt antiqua ſua libertate & vera religione reſtitutis, ſuas vrbes & oppida ab hoſtium

insidiis & impetu conseruent: vt tamen pristinum vrbiū suarum statum melius agnoscerent, doctioribus quibusdam hæc data fuit prouincia, vt perlectis historiis præsertim Gallicis, quo in statu essent Franci & Galli antequam Tyrannis inuasissent, diligenter perquirerent.

Hist. Optimè factum: vtinam tunc affuissem, vt quæ memoria teneo in medium protulissem. Doctus Paquirus, in libro perquis. Gallicarum magno illos leuasset onere. Hottomanus etiam iurisperit. sua Francogallia actum iam negotium offert, diligenter notatis locis ad hanc rem pertinentibus. Si quis autem posset antiquam Albigeorum doctrinam, quæ Rœmundi Comitis tēpore viguit, paupertum etiam Lugdunensium; Pragellanorum, Cabriar. & Merindolēsium Religionem, cum illorū tēporum statu reuocare, operæpretiū faceret: & rem nō solū omniū laude, verū etiā gratiarū actione dignā exequeretur: cū tam hi sint hominū mores, vt nostri nos inet pœniteat. Hoc vnicum supereſt nostris malis remediū: alioquin videtur Gallia magnam minari ruinam.

Pol. Nihil verius. Neq; ignarum arbitror te illorum quæ Machiauellus Italus tertio suarum elocutionum libro persequitur, cum de Roma vetere, de Gallia, & aliis Regionibus loquitur vbi de hac re ex professo tractat. Itaque addam, hoc vnicum supereſſe Reipublicæ restaurandæ remedium.

Histor. Optandum illud esset, vniuersam Galliam in hoc incumbere, vt antiquum statum reuocaret: hic enim esset verus philosophiæ lapis, qui multos ditaret, illos infinitis vectigalibus leuando, & à tyrannide Medico-Valesiorum liberando.

Pol. Tam hoc est verum, quam quod verissimum: cætera autem Danielis decreta in vsum reuocare statuerunt. Agnoscunt quidem magnam in electionibus difficultatem, præsertim Ducum & Præfectorum: cum illud à Gallorum moribus prorsus sit alienum, vt Romanorum more è media plebe ducem eligant.

Neque

Neque volunt qui ad aliquem dignitatis gradum ſemel ſunt euecti, ſe magiſtratu abdicare exemplo Quinti Cincinnati: ſed potius ad altiora contendunt, vt qui ſignifer fuerit, legatum velit gerere, & tandem Ducis dignitate ornari aſcendendo ſemper, deſcendendo nunquam.

Hiſt. Illud perperam. Romani licet honoris & gloriæ cupidi tanti Rempublicam faciebant, vt non ſibi, ſed patriæ conſulerent. Neque illos pudebat in iiſdem caſtris militum numero cenſeri, in quibus Duces fuiſſent. Quintus Fabius conſulatu perfunctus, alacri animo Marcum Fabium fratrem ſecutus eſt: Manilius etiam Conſul in bello contra Tuſcos pugnæ interfuit, illis etiã obtemperando, quibus antea imperauerat. Hoc itaque frequenter Romæ vſuueniebat, vt qui magno aliquo munere perfunctus eſſet, inferiorem locum ſubire non recuſaret: quod licet priuatis minus videatur honorificum, Reip. tamen eſt perutile. Reip. enim melius poteſt in illis cõquieſcere qui ſponte ſe magiſtratu abdicant, & imperium ſi opus ſit dimittant, quàm in illis qui gradus honoris ſectantur & ad maiora ſemper contendunt: His parum fidei habetur, niſi aliorum auctoritate & dignitate cohiberi poſſint.

Polit. Sic ſe res habet: Itaque magna nobis ſpes eſt veros Nobiles prudentia, virtute & timore Dei inſtructos, zelo promouendæ Dei gloriæ, & Reip. ordinandæ prædictos, daturos operam, vt rectè, & compoſitè omnia ſtabiliantur, & ad Dei gloriam, eccleſiæque conſeruationem dirigantur, publicum Reip. commodum ſuis priuatis negotiis anteponendo. Plebs etiam ipſa veros Nobiles tãti faciet, vt ex illis etiam gubernatores eligat, ſi res ferat, & illos quo digni ſunt honore proſequetur. Simul etiam iſti duo ordines cum illis qui ius dicunt, Valerii Coruini (anno ſuæ ætatis 23. Romæ Conſulis) dictum inſigne recordabuntur, qui dum ſuos milites alloqueretur, dixit Conſulatum non ſanguinis, ſed virtutis eſſe præmium. Itaque vnà omnes virtutem intuebuntur, in quocunque tan-

dē sit,& viros egregios & fortes eligēt,nulla ratione habita aut ætatis,aut sanguinis,qui viribus,& ingenio polleant præ cæteris, qui denique digni sint vt ad Reip. gubernacula sedeant.

Historio. Præclarum illud erit,siquidem ad vsum reuocetur:alioquin actum est de illis.

Polit. Facient,ne dubita,ego pro illis spondeo: Turpe enim esset Christianos proprium honorem, cum totius ecclesiæ detrimento quærere, & fœdam ambitionem in illorū animis insidere, in quibus Dei Spiritus summum dignitatis gradum obtinere debet.

Historio Absit, Tunc enim omnia pessum irent.

Polit. Ne time. Omnia se rectè habebunt Dei beneficio. Cæterùm alios etiam Danielis articulos decreuerunt in vsum reuocare, & præcipuè xvii. in quo de Imperatore exercitus, & de ipsius Legatis agitur: minime qui vnà cum illo imperent,sed qui imperatore mortuo, aut præfectura se abdicante, alius alii succedant. Ille autem Legatorum numerus, & ad Imperatoris, & ad militum conseruationem plurimum facit. Hostès enim hæc animo voluent, quid nobis proderit Imperatori necem inferre, cum tot, & tam multi sint parati ad illius munus subeundum, & felicius fortassis obeundum? Milites autem securè agent, rati Duce nunquam posse se destitui, quod nobis lanienæ die euenit magno nostro malo & damno.

Senatus etiam multum comprobauit 22.23.32.33. articulos.22.verò duabus potissimum de causis, Prima, ne consul aut aliquis è populo, aliquid in Reipub. perniciem, aut libertatis publicæ moliatur, & gerat: Secunda, vt si de aliquo falsi rumores spargantur in vulgus, aut aliquis criminis alicuius insimuletur. re ad Senatum relata. & quæstione habitā, aut absoluatur cognita innocentia, aut si reus sit, pœna & supplicio afficiatur.

Historio. Illud rectè:alioquin multa imminerent pericula,nisi liceret in præfectos crimina intentare, & de iis

M

is meritas pœnas ſumere.

Poſſet malus Imperator cum hoſte inire conſilia, & ntellitio ſtipatus populi libertatem imminuere: poſſet tiam populus magiſtratum calumniari, & illi inuidiã cõ are, falſo aliquo crimine intẽrato, vt pote peculatus aut licuius vrbis, ſiue malè oppugnatæ, ſiue proditæ: quod nagiſtratibus poſſet frangere animum, & Reip. ruinã af erre, quod quin Romæ euenerit, parum abfuit, cũ Furius Camillus vrbem à Gallis liberaſſet: æquũ videbatur tũc mporis, vt ciues Camillo primas partes in Reip. guber ationetribuerẽt, quòd etiam vltrò illi obtulit populus, xcepto vnico Manlio Capitolino qui liuore percitus (cũ dem ſibi ob liberatum à Gallis Capitolium expeteret) vt nuidiã Camillo faceret, falſos rumores ſpargebat in vul us, paſſimque dictitabat, theſaurum pro liberatione & edemptione Capitolii Gallis dicatum, à Senatoribus ra tum, quod tamen reſtitutũ magno eſſe poſſet Reip vſui populum magnis leuare oneribus. Calumnia Sena to ibus tanti momenti viſa eſt, cognita totius populi ſuſpi ione, & ægritudine, vt ad illud rarum remedium confu erent, dictatorem creando, qui ius diceret. Itaque cita ur Manlius apud dictatorem præſente Senatu, & popu o conuocato in loco publico.

Manlius autem publicè interrogatus vt diceret apud uem Senatorum theſaurum latere arbitraretur, cum on apertè loqueretur Manlius, ſed tergiuerſaretur, in arcerem iuſſu dictatoris coniectus fuit, & coactus acto is perſonam ſuſtinere nõ calũniatoris: Denique cogni o mendacio & calumnia, merito fuit affectus ſupplicio. Hoc exemplo & ſimilibus colligere licet, quam ſit Rei ub. pernicioſum, ſi facultas in ius vocãdi Senatores, & Duces, cum ab officio diſceſſerint, populo adimatur. oſtra Gallia magnum nobis exemplorum numerum uggerit. Si illorũ memoriã repetamus, quæ facta fuerũt, x eo tẽpore quo trium Statuũ aut Ordinum libertas fuit mminuta, ex quo etiam publica officia fuere vænalia.

Quod si quis requirat peculiare exemplum, expendat quid Vassiaca clades à Guisianis facta & cætera Triumuiratus gesta(quibus nemo audebat se opponere)secum calamitatis attulerint: Inde bella ciuilia sunt consecuta, quibus adhuc ardet nostra Gallia, quæ tot & tanta mala secum traxerunt, vt horrenda sint memoratu, & incredibilia dictu.

Polit. Vtinam non tam vera hæc essent. His exemplis permoti Nemausenses, Danielis decreta in vsum reuocare statuerunt: Rati hoc in suam rem fore, vt exemplo Romanorũ, Tribunos plebis habeãt qui custodes sint publicæ libertatis, qui possint etiam si res ferat, Senatores reos agere, vt olim Manlio, Coriolano & aliis multis accidit, qui ab hoc genere magistratus fuerunt coerciti. Quod ad 23. articulum attinet, illum etiam multis de causis amplexi sunt: vt iuuenitas confusiones & nimiam male agendi licentiam præciderent. Si nobilis quidam aut egregius aliquis miles homicidii aut furti reus teneretur, dignusque iudicaretur in quem exempla ederentur, non deerat aduocati, & mali patroni, qui egregia cætera illorum facta laudarent, & proinde venia dignos causarentur, tandemque precibus, siue pretio à iudice impetrabant vt vita donaretur, qui mortem esset promeritus: ita vt omnia iudicia peruerterentur, & malis male agendi licentia augeretur, spe veniæ.

Historiog. Et illud perperam. Nec enim sapiens aliquis reperietur, qui Romanis in eo assentiatur, cum Horatio sororicidium condonarunt, eò quòd Curiatios deuicisset, & Romanis imperiũ in Albanos acquisiuisset: Dignus fuit nihilominus, qui homicidii pœnas daret. Præstat eosdem Romanos sapientiores imitari, quibus in more erat, vt præmio bonos, malos autem pœna & supplicio afficerent. Quod Manlii Capitolini exemplo comprobatur cui pro liberato Capitolio(vt paulò ante vidimus)farinæ modii duo dati sunt: De eodem paulo post, vt de Reip. perturbatore, supplicium sumptum est.

Polit.

Poli. Rectè factum. Idem facturos se fideles statuerũt. Quod ad 32. & 33. articulos attinet cum infiniti sint ponderis, eosdem etiam diligenter exequentur. Recordantur enim multos, quorum vitæ pepercerunt, paulo post tanti beneficii immemores, vitam fidelibus impiè ademisse, ac crudelius se gessisse, quam antea. Ergo sibi caueant si sapiunt: Non enim sic auferent, nostri enim iam sapiunt.

Historiog. Verum enimuero, idem Papistæ in nostros facient.

Polit. Verum prædicas, siquidem nostri in illorum manis deuenerint: nihil minus facturi, quæcunque tandem polliceantur. Nunquam enim desinent insidiari, vt aut igne aut ferro, aut veneno piis vitam adimant: aut quod multo peius est, ad idololatriam pelliciant. Hoc igitur consilium De armatis hostibus interimendis, magnum illis timorem incuteret, cum nos iniuste, nulla iniuria lacessiti adoriuntur, vt tyranno gratificẽtur: itaque malo perterriti arma abiicient, & tandem nulli aut pauci reperientur, qui nos armis audeant lacessere, etiam tyranno imperante: vt iam multos videre licet, qui pugnam detrectantes, malint pro ignauis & timidis haberi, quàm stultè pericula subire.

Nunc autem venit in mentem mihi minoris Candolii dictum Conestabuli generi, qui dum obsidioni Sommieranæ aderat, fratrem Danuillæum, ac cæteros nobiles est allocutus, in hanc sententiam, cum videret iam multos oppidanorum manu occubuisse, O nos fatuos, & stolidos, inquiebat (Danuillæum appellans) qui nos tantis exponamus periculis, Illorum gratia (Valesios & matrem significare volens) qui nuper nostros consanguineos & necessarios fœdè & perfidè necarunt, qui item nobis necẽ pro laborum mercede parant.

Historiog. Præclare dictum à Candolo, strenuo, & acri iudicio viro. sed age dic quæso nobis, quis fuerit illius exitus.

Polit. In eadem illa obsidione occubuit, & cum illo

quinque aut sex milia militum. Possem ego illius obsidionis initia, & extrema narrare: ni me illa res lōgius ab instituto traheret: ni viderer etiam, velle actum agere: extāt enim typis excusæ illæ obsidiones, quas cuiuis licet legere. etiam ego si velis tibi commodabo.

Historiog. Nihil magis cupio; sed ad institutum redi.

Polit. Vt iam cœperam. hoc nostrorum consilium, de trucidandis armatis hostibus, illis bellandi animum adimet: præsertim cum iam sæpe vapularint, & nostris addet animos, vt bonitate causæ, & necessitate adducti se gerant strenue, Ducibus morem gerendo: patienter belli labores tolerando. aut enim morientur, aut vincent.

Hist. Sic res habet. Itaque iampridem hostes fusi, ac fugati fuerunt à nostris. Quod ad 33. spectat, in quo comitatem, & mansuetudinem in catholicos pacatos Daniel requirit: frequens Senatus in Danielis discessit sententia: statuitque, nequa vis aut violentia illorum vitæ, fortunis, nedum conscientiæ inferatur: imò, fratrum & conciuium loco censendos, cum illorum magna pars nostram vicem doleat, optátque sublata tyrannide, pristinum statum Galliæ restitui. Itaque non sunt exactionibus, nisi necessariis onerandi. Episcopis autem, monachis, presbyteris, & cæteris (vt vocant) Ecclesiasticis, qui arma non sumpserint, sed nobiscum pacatè, non dogmatisando, vitam traducere volent, illis omnia stipendia attribuentur, quibus vitam honestè possint sustentare: reliqua autem ecclesiasticorum bonorum pars, pauperibus aut studiosis enutriendis impendetur.

Historiog. Absolutus videtur ordo: dummodo singuli articuli inter illos vigeant.

Polit. Imo (vt spero) ad amussim exequentur: vt autem reliquam legationis meæ partem tibi aperiam: his omnibus (quæ recensui) & aliis multis rebus, à Senatu Nemausensi constitutis, dum adhuc Nemausi essem, graui morbo implicitus, diebus fere singulis ad nos perferebantur literæ, quæ nos de iis quæ in Rupellæ obsidione, in castris

& in

& in vrbe fiebant, certiores faciebant. Hæc autem inter cætera nuntiabantur: Ambos tyranni fratres ad vrbem veniſſe, cum Rege Nauarreo, Condeo Principe, Comite Rupefocaldio iuniore, & aliis aulicis ſcilicet periuris, ganeonibus, nõ ſolũ ſcortatoribꝰ, ſed ſodomitis, epicureis atheis, & eiuſ farinæ hominibus quos tyrannus à ſe abegerat, (licet ægre illis carere poſſet) vt maioribus copiis Rupella oppugnaretur. Itaque ab Andico obſidione cincta magna tormentorum in vrbis mœnia concutiuntur, & ſternuntur, aguntur cuniculi, parantur ſcalæ, & cætera machinamenta quæ ad vrbis expugnationem pertinere viſa ſunt. Oppidani contra vrbem munire, mœnia reficere, aggeres conſtruere, & quod hoſti fuit moleſtius infinitas diu noctúque eruptiones facere, denique hoſtẽ laceſſere, & de improuiſo adoriri, ita ſtrenuè vt multi ex hoſtiũ ducibus fuerint deſiderati, quorũ exemplo cæteri deterriti non niſi inuiti & à Ducibus coacti oppugnationem tentabant: licet illis in vrbem per muri ruinas pateret aditus, ſolis oppidanorum corporibus oppoſitis vt ſtrenuè oppugnationes exciperent, & propulſarẽt: eodem ferè tempore nuntiatum eſt nobis, Noeum (qui trucidationis tempore Montiis in Belgio erat) in Galliam veniſſe, cum publicæ fidei libellis, à tyranno conceſſis, à Longo-villeo Principe literis commendatus tyranno, qui illum, & Abbatem Gadagneum, Rupellam dimiſit, cum mandatis, vt Rupellanos, quibus poſſent artibus ab inſtituto reuocarent, illíſque omnia cõmoda oſtentarent, ſi tyranno velint obſequi, ſcilicet cárnificibus iugulum præbendo & prædonibus omnia ſua exponendo. Itáque quibus Noeus prius innotuerat, demirati ſunt hanc ab illo ſuſceptam prouinciam: rati illum potius debuiſſe aut in Angliam, aut in Germaniam proficiſci.

Alii illum hac ratione culpa vacare affirmabant, quod captiuos filios vellet in libertatem vindicare:

erãt etiam, qui Rupellanis hanc legationem fauſtam crederent. Denique variæ erant hominum ſententiæ: ego autem non ignarus illius conſtantiæ vix aliquid mali ſuſpicatus ſum: tandem autem intelleximus illum infecta re ad tyrannum rediiſſe: à quo ſecundò, cum amplioribus mandatis Rupellam miſſus, abbatẽ legationis habuit comitem, qui ad tyrannum regreſſus, de Rupellanorum obſtinatione(ſic ſolent piorum conſtantiam & animi fortitudinem nuncupare) illum fecit certiorem. Neque dubitatur, quin Noæi mora multum oppidanis profuerit: Inſuper cum obſidione aſſidua Rupellani premerentur, penuriáque tritici,& reliquarum rerum laborare inciperent,à tyranno inuitati, de pacis conditionibus cogitare incipiunt,ſuáque priuilegia euoluunt,inſpiciúntque quid Valeſiis debeant: num in illos haberẽt ius vitæ & necis aut num deberent illis animas in quas etiam tyrannus conatur tyrannidem ſuam exercere. Veruntamen in ſuis publicis tabulis legunt exiguam tyrannum in illos habere poteſtatem, ſuis legibus circumſcriptam qua(licet ſæpiſſimè abuſo) adhuc illi per populum licet vti. Hac itaque ratione conuocato in locum publicum populo,cum paululum Noæus ab illis diſcreparet,cæperunt oppidani paruam illi habere fidem, quia iam inter illos male audiret. Itaque vrbe relicta vndecima martii anni ſuperioris, ad Ducis Andæi caſtra ſe recipit à quo amice ſatis acceptus, ex præſidiariis & oppidanis aliqui exauditi ſunt, qui Noæo exprobrarent Sionem illum deſeruiſſe. vt ad Aegiptios conuolaret: eodem tempore multa inter Ducem Andæum, & oppidanos ſunt agitata de pace: quam potiſſimùm expetebat Andicus miles, multis de cauſis, omni expugnationis ſpe abiecta, & magna illorum parte deſiderata, præcipuè nobilium & Ducum, quorum violẽta mors, cæteris omnibus terrorem incutiebat, vt auidè omnes obſidionem ſolui optarent, etiamſi ad hoc fere tempus ſex Heluetiorum millia caſtris ſe coniunxiſſent. Andicus autem ſuæ electionis factus

certior

certior, quæ non minus videtur Polonis infausta, quam Gallis vtilis, sua ambitione commotus, statim ad coronationem adiecit animum, & paulo auidius cœpit pacis consilia agitare. Itaque euocatis ex vrbe legatis illorum postulata intellexit 5. Iunii, illique ad tyrannum perferri iussit.

Ad hoc ferè tempus, qui in castris erant obsidionis labore defessi, diffluere incipiunt, inuitis etiam ducibus, & paulatim soluitur obsidio, oppidanisque aliqua laborum quies paratur. Numerum autem hostium sauciatorum, siue occisorum referre non est animus, cum sit infinitus. Ducum tamen & procerum interfectorum nomina libello edito recensentur.

Hoc addam, vnicum propugnaculum, Euangelii vulgo dictum, ab hostibus varie oppugnatum, infinitis hostibus vitam ademisse: inde tormentarius globus emissus Ducem Aumalium capite obtruncauit: inde etiã comes Retius, quo die quadraginta machinis bellicis propugnaculũ concutiebatur, retrocedens, auerso vulnere sauciatus fuit. Hoc oppugnarunt 7. Aprilis Principes, magno nobilũ numero stipati, sed multis sauciatis & desideratis plus quam trecentis retrocedere coacti sunt.

Hoc idem propugnaculum cuniculis euersum, infinitos hostes adobruit, & vrbem quasi facto aggere muniuit. illius tamen euersio horrendum præbuit spectaculum: multos enim vidisses in aera raptos, multos viuos sepultos, alios membris mutilatos: denique miserè multis fuit vita adempta horrenda illa euersione.

Denuo tamen obstinatis animis magna vi & efferata, ter eodem die oppugnatur ab hostibus, qui toties etiam repulsam patiũtur, magno suo malo & dedecore. postridie tamen ex nostris aliqui somno sopiti, ab hoste de improuiso opprimũtur & interimũtur, relicto nihilominus oppidanis propugnaculo.

Hist. O memorandũ propugnaculũ. Neque mihi videtur temerè aut fortuito, Euãgelii nomen illi fuisse inditũ.

cum fere eadem illius vires & effecta quæ Euangelii oppugnati fuerint. Hostium vim repulit, suos tutatum est, quandiu fuerunt in exuuiis, torpore autem captis nihil profuit, denique pijs in salutem, impijs autem cessit in exitium.

Polit. Verum illud est. vt autem ad id vnde digressus eram reuertar: cum vltrò citróque multa à legatis, & Rupellensium & hostium de pace agitata fuissent: Rupellenses multa cæterorum fidelium nomine quæsti licet vndique infinitis calamitatibus premerentur: in hoc tamen incubuerunt, vt reliquos ecclesiis aliquod afferrent solatium. Concessa illis facultate, vt de suis rebus cum Montalbanis agerent, legati Montalbani, etiam reliquarum vrbium nomine Rupellam veniunt, vt communicatis consiliis, omnium simul postulata tyranno offerrent. Itaque illorum omnium petitiones ab Andico ad tyrannum mittuntur, sub finem mensis Iunij anni superioris.

Tyrannus autem cum suis obstupefactus, virium tam & consilij expers, coactus obsidionem soluere, cum neque dolis, neque aperto marte posset ciuitatē expugnare, ratus satis sibi & damni, & detrimenti importatum à Rupellanis, veritus etiam ne Poloni legati aduentantes fratrem regno inauguratum, tam crudeli & inhumano negotio incumbentem offenderent: pro suo more antiquis artibus intentus, edictum nescio quod pacis ostentat, quo illud agit præcipue vt tres præcipuas vrbes à religionis occupatas, à cæteris seiungat, vt pacis obtentu, ecclesias vastare; & opprimere facilius possit. Hoc itaque præclarum edictum, publicatur mense Iulio, in quo sic præfatur tyrānus perfidus. Hoc semper se habuit animo, vt in sui populi, & regni administratione clementia & humanitate potius vteretur, quam vi & violentia.

Cæterum Rupellanis cæterísque nobilibus qui cum illis arma ceperunt hoc tertio ciuili bello, duabus item vr-

libus Montalbano & Nemauſo, Nobilibúſque illorũ nomine armatis, religionis reformatæ publicã profeſſionẽ concedit. Hoc etiam potiſſimum ſtatuit, vt quæcunque à 24. Augu. ad edicti publicationem acta ſunt, in tota Gallia, pro infectis habeantur, & ex hominum memoria deleãtur: cauet etiam, ne quis deinceps è ſuorũ ſubditorum numero, illa in medium afferat, aut in memoriã reuocet.

Hiſtorio. Quam iniquum edictum! Deus bone poſſétne inter omnes mundi ſceleratos aliquis impudẽtior hoc perfido tyranno reperiri? Qui tota Gallia vaſtata, & proprio ſanguine conſperſa, quaſi re bene geſta, vult hominibus fucum facere, & perſuadere ſe magna clementia, & humanitate eſſe præditum. O ſcelus! Etiam ne audes imperare, perpetuum tuæ crudelitatis, & perfidiæ ſilentium. Putáſne poſſe ex hominum memoria delere, tuam illam carnificinam: ac ſi nunquam facta fuiſſet. Ergò vide num poſſis impedire, quominus te te autore effuſus ſanguis piorum vindictam à Deo requirat, hoc autem non in tua eſt poteſtate: nonne (ô portentum naturæ) ſi nimiũ timidi homines tacuerint, lapides loquẽtur? O præclarum pacis initium: ac ſi diceres, fateor equidem verum illud eſſe (ô pecora) me non ſolum 24. Auguſt, ſed multo ante, & in poſterum etiam dediſſe operam, & daturum, vt vos omnes religioſos extinguerem, nullo aut ſexus, aut ætatis habito diſcrimine: neque per me ſtetit quin ad vnum vſque omnes internecioni dati fueritis, in hoc enim totus fui: verumtamen ego nunc impero, vt aliter omnino credatis: cælo licet & terra aduerſante, & in me teſtimonium ferente. O truculentum, & crudele animal.

Itaque idem tibi (niſi ſpes me fallit) quod olim tyranno longè meliori, accidit: ille ſuis interdixit, ne priuatim, aut publice, inter ſe colloquia inirent, veritus ne populus ſociatis conſiliis, ſe in libertatem vindicaret, eò itaque ſuos adegit ſubditos, vt nequaquã mutire auſi, nutu & ſignis inter ſe agerent: quod cum tyrannus etiam

prohibuisset, euenit vt populariũ vnus, cuius cõ ægritudine æstuabat, vt qui dolore percitus, ciuium & suam ipsius vicem doleret) ille inquam cœpit publicè gemitus & lachrymas mittere, cuius exemplo multi etiam è populo, miserum in modum flebant.

Hoc intellecto Tyrannus, iracundia percitus, & indignè hanc doloris significationem ferens, ad illos accessit, vt illorum gemitus, & fletus coerceret, & naturalem illorum affectum impediret. Populus autem non vlterius potuit manus cohibere: quin tyranni satellitibus, armis spoliatis, in tyrannum irruerent, & ipsum confoderent.

Polit. Laude digni sunt ii homines. Non potuit ex illo tempore illis tyrannus os occludere. Sed vt ad nostrũ tyrannum Carolum reuertamur: eodem edicto cauet, ne quis procurator, aut aduocatus, possit aliquem vocare in ius, illarum rerum causa, quæ à 24. Aug. facta sunt.

Hist. Hæc peiora multo illis sunt quæ processerunt. Cum enim cauet edicto, ne lanienæ causa, aut falsi criminis in Amiralium & socios intentati, aliquid iuris dicatur: idem est ac si diceret de crimine in Amiralium, & socios à me (vt aliquem carnificinæ prætextum excogitarem) intentato, hoc habetote: me iubere atque imperare, vt nulla rei disquisitione facta, illud animum inducatis credere.

Neque tamen aliquem vestrum volo à meis procuratoribus ea de causa vocari in ius: ea lege, ne vos etiam iniuriæ & carnificinæ memores, aliquem meorum carnificum, & satellitum ea de causa vocetis in ius. ergo tyranno licebit pro arbitrio semper nobis aliquod falsum crimen obiicere: nobis autem interdicit, ne apud alterius æquioris iudicis tribunal ius nostrum persequamur: vnde licet cuiuis agnoscere, quam longè humanitatis, & modestiæ fines prætergressus sit.

Itaque iam desine de hoc perfido, & carnifice verba facere, donec se, matrem, & fratrem, cæterósque lanienæ autores, morti adiudicet. tunc enim ego optarim cum illo agi

lo agi mirius, quem cum Nerone: qui agens animam conquerebatur, sibi nullum adesse amicum, aut inimicum qui ferro, suo malo, & vitæ, finem adferret: ego autem censerem, illos statim extinguendos, ne forte inferorum ianua conspecta, illos sui consilii pœniteret.

Poli. Ego idem tecum sentio: credo etiam ex catholicis multos in nostram sententiam discessuros, vt à iugo tyrannidis liberentur. Tu mihi tamen visus es nimium morosus, qui nolis me edicti illius meminisse, quod (etiã inuito tyranno) multis solatium attulit.

Historiog. Scio equidem, & Deo pro obsessorum & captiuorũ liberatione immortaleis ago gratias, verũ enimuerò iam obtusas aures hæc edicta reddidere, mihique pariunt nauseam: tum præsertim, cum aliquid præclari pollicentur, vt potè, cum illa dicuntur esse perpetua, & irreuocabilia, quod iam experti sumus quàm sit vetum.

Nuper enim his præclaris nominibus nobis imposuit & tanquam muscipula, incautos illaqueauit. itaque oportet, nos illa (quæ paucis diebus ante suum obitum Amiralio fuere dicta) alta mente reponere: scilicet tyrannum nunquam concessurum, vt qui semel in illum iure, an iniuria arma ceperint, beneficio legum, aut edictorum fruantur. Quid autem ex hoc tam male initiato sperandum?

Polit. Adhuc tamen, vltimi istius edicti, duo aut tria capita (quod fiat cum bona tua venia) in medium asferam.

Historiog. Per me hoc tibi licet: modo agas breuiter. Si enim velis astutias, quæ verbis obteguntur, & malas artes oratione complecti, tempus potius, quam verba deficerent: itaque temporis habenda est ratio.

Polit. Paucis ego rem perstringã. Trium vrbium nempe Rupellæ, Montalbanĩ, & Nemausi incolæ, nobiles etiam qui cum illis arma sumpserint, libero religionis exercitio donantur. Qui autem mortis metu perterriti coacti

sunt religionem iuramento etiam addito, abrogate, & missificationi interesse, in integrum restituuntur, & iuramento liberantur.

Historio. Satis iam à Deo liberantur, modo vera tangantur pœnitentia, neque necessaria fuit hæc tyrannica liberatio, qua ipsemet fatetur fideles vi & malo coactos veritatem abnegasse, etiam datis sponsoribus, qui illos nunquam è Papatu discessuros fidem darent.

Polit. Hoc insuper illis vrbibus licet, suis vti priuilegiis, nullo in vrbem admisso præsidiario milite: sed datis tyrannio obsidibus ad biennium, ex singulis ciuitatibus quatuor, qui singulis trimestribus immutabuntur, vt tyranno melius constet, de illarum vrbium obedientia.

Historio. Hoc biennium me male habet, cum recordor idem tempus in alio edicto præstitutum fuisse. Qui autem dabuntur obsides, vix sani, & integri redibunt. hac enim ratione voluit tyrannus illos sæpe permutari, quo facilius posset multos eosque præcipuos corrumpere, & illorum auxilio vrbes occupare.

Porrò autem tunc verè suis potientur priuilegiis, si Danielis decreta in vsum reuocet, vt intellexi illos nuper de communi sententia statuisse: alioqui non video qui fieri possit, vt salti & tecti maneant, quæcunque tandem tyrannus suo præclaro edicto pollicetur.

Poli. Neque illi (si sapiunt) fidem habebant tyranno: sed potius sibi prospicient. Rupella interim, non tam illo edicto, quam solutione obsidionis leuata fuit. Cæteræ vero vrbes, quæcunque à nostris occupantur, hoc idem edictum irritum habuerunt, illúdque flocci fecerunt.

Historio. Sapient, si sibi à tyranni insidiis caueant. hac enim ratione, & se in pristinam libertatem vindicare poterunt, & suam vitam, fortunas, priuilegia, integra seruare. sed age. Nunquid ad Sancerranos etiam hoc edictum pertinet?

Polit. Nequaquam: licet Rupellani legati, illorum calamitatum certiores facti, obnixè pro illis apud tyrannum

rannum interceſſerint, vt remiſſius cum illis ageret. Hæc autem nuper ego intellexi à quodam milite, hic rem narrante: D. Caſtreus prouinciæ præfectus. Sancerranam vrbem obſidione cinxit menſe Ianuario ſuperioris anni. viginti bellicis tormentis maioribus adductis, quibus effulminari cœptum, & tam crebrò, vt muro ipſo diruto, & ſtrato, ad quingentos paſſus paterent ruinæ.

Die verò Iouis ante paſcha quem Iouem ſanctum vocant) miles ſe magno conatu, ad oppugnationem accinxit: ſed malè ab oppidanis exceptus, & ſtrenuè propulſatus, magno ſuo malo retrocedit, neque audet poſthac vrbis muris appropinquare. itaque eminus vrbem circumuallare ſtatuit ipſe Caſtreus, vt frumento, & pabulatione Sancerranos prohiberet, circum ipſam vrbem ædificatis arcibus ſuorum præſidio munitis, vt illos tandem ad deditionem cogeret.

Sic tamen durarunt Oppidani, à mẽſe Martio vſque ad menſem Auguſtũ: quo temporis interuallo, infinita mala perpeſſi ſunt, famem potiſſimum tolerantes, quæ in dies magis illos vrgebat, eò redacti, vt non ſolum equis & aſſinis, ſed etiam corio, calceis, membranis veſcerẽtur: etiam fuere parentes, qui filium mortuum & humi mandatum, è fouea reduxerent, vt illum exederent: quod certo conſtat, cum vterque & pater & mater, hac de cauſa capitis ſupplicio affecti fuerint. Fame tam ſæua graſſante, populi magna pars interiit, potiſſimum infimi de plebe, & fere omnes impuberes: vt horrendum ſit memoratu, quãeis eiulatibus, & clamoribus pauperum, & fame pereuntium tota vrbs perſonaret.

Neque ad hoc tempus, paſtores Eccleſiæ gregi defuerunt: ſed tempeſtiuè & intempeſtiuè populũ hortabãtur, & conſolabãtur. vniuerſa eccleſia aſſiduis precibus Deũ interpellabat, vt è tantis malis & afflictionibus ſe liberaret, quod ſi peccatis ſuis meriti eſſent incidere in manus hoſtium tam crudelium, illos vi & robore ſpiritus ſui muniret, quò poſſent intrepidè, ad extremũ vſque vitæ ſpiritum, illius veritatem profiteri: vnà milites, populus,

pueri etiam cum mulierculis, manus in cælum leuabant, à Deo vnico spem & auxilium implorantes.

Qui autem supererant verbi Dei ministri, omnibus rationibus populum solabantur, hæc & similia inculcantes. Tametsi (inquiunt) impii, piorum memoriam funditus deletam optent, vt soli rerum potiantur, longe tamen falluntur, cùm Deus contra statuerit. Frustrà Reges & Principes terræ inire consilia contra Dominum, vt iugum illius à se excutiant, & ecclesiam funditus destruant: Deum tamen è cælis ridere illorum conatus, & illos in ira sua alloquuturum, vt irritos faciat illorum conatus, & sua virga ferrea illos confringat. Futurum etiam inquiebant, vt lapis visus à Nebucadnesare nulla hominis arte de monte reuulsus, tibias magnæ illius statuæ comminuat.

Itaque (inquiunt) fratres, ne commoueamini propter impios qui videntur frui rebus prosperis: nam instar fœni velociter succidentur, & (sicut olus) decident: sed sperate in Domino, & in illo fiduciam vestrã collocate. Ne impiis inuideatis prosperum rerum successum: neque vos vrat æmulatio, ob illorum vitam impiam: illi enim è terra succidentur, & spectantes Dominum benedicentur, neque pudore suffundentur in die mala. Deus enim potest, pro sua omnipotentia, aquam è saxo durissimo premere. Melius esse pauxillum suum iusto, quam diuitias impiorum multas. gladium suum (inquit Dauid) euaginarunt impii, & arcum pararunt, vt iustum de improuiso opprimant, verum gladio proprio iugulabuntur, & suo arcu ferientur. Illud quidem carni videtur satis firmum argumentum, ad defectionem, dum videt impios prospero rerum euentu frui, vt olim cecinit vates. Psal. 73.

Exempta duris vita molestiis
Curisque (pectus quæ reliquis coquunt
Mortalibus) per lætitiam fluit
Luxúmque, & ægris pura laboribus.

Contra autem audite Ecclesiam dicentem,

Dum luctu crucio me dapis immemor,
Vt sella è viridi gramina cæspite,
Arescunt nimio torrida sole, cor
Exuccum mihi tabuit. &c.

Illis autē qui Dei verbo instructi sunt & eruditi, constat, impios in loco lubrico sitos, vt ad nutum oculi corruant, & præcipites eant ad inferos: contrà autem videmus, deum suos exaudire ad se clamātes, & illis ferre opem, & auxilium.

Occurret in scripturis Eliæ exemplum, ab Angelo, enutritum, aliàs à coruo, qui ad viduam pauperrimam (cui vnicum farinæ pugillum supererat) à Deo immittitur, vt & seipsum & viduæ familiam sustentet, multiplicatis & farina & oleo. Manus autem domini non est abbreuiata, neque illius virtus imminuta: idem est Dominus, & Rex omnipotens, qui solus omnia quæcunque vult, effecta dare potest. Illo inuito, aut insciēte, nonē nostro capite decidet capillus.

Non est igitur, quod nos moueant hostium cōsilia, qui nos cum vxoribus & liberis morti addixerunt, subeat potius nostrum animum hæc cogitatio, Dei consilium ab impiis fieri nō posse irritum, siquidem nos velit eripere: contra autem, si ex hac vita velit nos emigrare, neque ideò timendum.

Cum nobis à dilecto patre, sit parata alia vita præstantior multò, imò ipsa regni cœlestis hæreditas, & possessio, quæ finem calamitatibus miseriisque omnibus nostris afferet, & fœlicitatis æternæ dabit initium. Itaque præstat cum Lazaro paupere, & misero colligi in sinum Abrahæ, quàm cum diuite impio, Caino, Saule, Iuda, & Herode, ad inferos dari præcipites?

Interim cuique nostrum est degustandum poculum, ex Dei præscripto, neque decet nos Christi crucem erubescere, aut potum fellis amarum Christo exhibitū abominari: noster namque mœror vertetur in gaudium. Nunc impij rident, nos autem flemus: olim contrà, illi

flebunt, nos autem ridebimus. Christus hoc nobis prædixit. His, & eiusmodi hortationibus populum ipsi pastores solabantur, & monebant vt qualem Deus pro sua voluntate daturus esset exitum, patienter expectarent: diuino cultui assiduè incumbentes.

Ecce contrà omnium expectationem, Deo quasi descendente, & suorum miserias inspectante, 26. Augusti anni superioris cum nihil iam haberent præter miseras animas, fame semiextinctas: Castræo, sese certis quibusdam legibus dedunt, Deo sic moderante tyranni animũ, qui illis interminatus erat se effecturum, vt oppidani se inuicem alii alios vorarent.

His tamen conditionibus sese dedunt, vt vitæ illorum & fortunis parcatur, vt ad edicti præscriptum liberè veram Religionem profiteri liceat: multati tamen magno æris pondere videlicet ad 40. millia librarum quas tyranno numerarunt. Nihilominus tamen posteà milites hostilem in modum, multa oppidanis eripuerunt, & pretiosa quæque vi abstulerunt, mœnia etiam vrbis penitus diruerunt, & horologium ademerunt.

Imò quod peius multo fuit, quosdam ex oppidanis necarunt: inter quos vrbis præfectus impiè occisus fuit: cæteri agris mulctati, incertis sedibus vagantur, prædonum libidini expositi.

Cæterum nolo etiam hoc præterinittere, Deum in eorum liberatione legatorum Poloniæ opera, & gratia vsum fuisse, qui paucis ante deditionem diebus venerat.

Hist. Expone quæso prolixius qua ratione hoc fieri potuerit.

Pol. Sic res habet. Poloni Rege suo Sigismundo vita defuncto à Carolo Tyranno precibus solicitati, opera Episcopi Valentiæ, & Lansaci iunioris legatorum, in Regem suum eligunt Ducem Andicum Tyranni fratrẽ, hoc in rem suam fore existimantes, si hac ætate, hoc sanguine, Dux Andicus ad Regni Poloniæ gubernacula sederet.

Pauciss

Paucis tamen post diebus, de immani, & perfida Valesiorũ proditione & crudelitate certiores factos, alienato ea de causa à Valesiorũ familia animo, tã suæ electionis pœnitebat, veritos ne simile quod damnũ illis hæc familia importaret. Itaq; exemplo Galliæ perterriti, licet suam inauguration em irritam reddere vellent, restamen illis non fuit integra, cum à se abalienassent cæteros Regni æmulos. Electionem igitur ratam habuere, Turcarum Imperatoris etiã habita ratione, qui Valesij fœdere iũctus multũ apud eos, gratia & cõmendatione valuit. Cum ergo de electionis conditionibus inter magnates Regni & Galliæ legatos ageretur, illi qui veritatem nobiscum profitentur, quorũ in Polonia magnus est numerus etiam primorum Regni, hoc ad se pertinere existimarunt multis de causis & pietatis, & humanitatis, vt de pace Gallica verba facerẽt legatis Gallicis: qui tandẽ Polonis instantibus, hæc Regis nomine polliciti sunt, etiã dato chirographo 4. Maii 1573. Scil. obliuioni quæcunq; bellis ciuilibus facta essent Regẽ traditurũ: vt fidelibus liceret tota Gallia Religionẽ reformatã publicè profiteri. Cæteris autem Galliã patriam suam non incolentibus liceret annuis suis reditibus alibi frui aut bona diuendere, modo in regionibus Gallis fœdere iunctis habitent. Interfectorũ bona legitimis hæredibus restitutum iri: ipsas etiam pecunias publici officii alicuius gratia persolutas: potissimũ vero vt famæ & existimationis cæsorũ ratio habeatur, vt iis qui è Gallia discessissent facultas detur redeũdi domũ, & patriã incolendi, etiam fortunis & dignitatibus in integrum restitutis. Vrbibus nũc retinẽtibus religionẽ, eandẽ profiteri & exercere liceat, nullo præsidiario milite à tyrãno intromisso, vt de lanienæ autoribus, & administris quæstio habeatur, de illisq; supplicij grauissimũ sumatur. Vt legati Ducis, hoc à Rege impetrẽt, vrbem aliquã in singulis Galliæ prouinciis (iis exceptis in quib' nũc viget vera religio) designet in qua omnibus liceat & publicas cõctiones ver bi diuini adire, & purè Deum colere.

His omnibus ita transactis & à legatis tyranni nomine iureiorando affirmatis, & confignatis, in Galliam iter instituitur, vt tyranno Andici electio significetur.

Poloniæ status aut ordines Regem suum salutatum mittunt: huius legationis prouinciam ex Principum & magnatum numero præcipui suscipiunt, & in Galliam veniunt, cum hisce mandatis, vt hos pacis articulos à tyranno exigant: rati hac ratione se posse bonam aut malam spem concipere, exemplo Galliæ sibi proposito.

Itaque in aulam appulsi, Regibus salutatis, imprimis de pace Gallica agere incipiunt: obnixè petentes, nõ solum vt semel tandem iniretur, sed etiam vt melius quã antehac & sanctius pax coleretur. Alioquin parum, aut nihil Gallicam affinitatem sibi profuturam dicebant. Quibus tyrannus iam factum edictum ostentauit: quo viso Poloni cum illud mutilum magna ex parte conspicerent, neque vrbis Sancerranæ rationem haberi viderent, (licet hoc ipso tempore vndique circumuallata obsidione & fame simul premeretur) Tanta rei indignitate permoti, Reginã Tyranni matrem supplices adeunt, quam etiam atque etiam obsecrant, vt Sancerranis aliquod lamentum detur.

Conspecto autem Valentiæ Episcopo, ad illum se applicant, & interpellant, vt fidem præstet & exoluat, recordetúrque quid in Polonia de Gallica pace sit pollicitus. Veruntamen tyranni mater, non ignara vrbis Sancerranæ status, caulatur Sancerranis rem esse cum peculiari domino, subditorum iniuriis lacessito, cui Rex concessit vt cõscripto exercitu, meritas pœnas de illis sumeret, neque decere nunc Regem illius conatibus obsistere.

Episcopus autem Valentiæ non immemor pollicitationum, fingebat etiam se Sancerranorum sortem dolere, hoc etiam ingenuè Regi testabatur sese nunquã Polonis, Ducis electionem persuasurum fuisse, nisi opera Palatinorum & Principum, qui in Polonia veritatis cognitio-

gnitionem profitentur, maxime adiutus.

Interim tempus prolatando, biduum aut triduum sibi dari postulat, vt possit fidem exoluere.

Hanc itaque moram nectebat Episcopus, Regina matre impellente, vt eo temporis intetuallo Sancerr ani expugnarentur, & funditus euerterentur.

Poloni tamen intellecto Sancerranorum statu miserrimo, postridie Reginam matrē de eodem negotio conueniunt, quam obtestantur, vt illius vrbis misericordia ducatur.

Canibus etiam (inquiebāt) panis erogatur, multò magis Christianis hominibus erit porrigendus. Hoc nimiæ esse crudelitatis, innocuos & innocentes fame interimere, vnica de causa quod Deū pure colant, & suam vitam tueantur.

Talia cum à Polonis Reginæ matri inculcarentur, pollicita est breui se daturam operam, vt Sancerranis melius esset, itaque tum, illa (cuius supra meminimus) deditio pacta est, & tyranno oblata, vt suo illam confirmaret chirographo, quod initio recusauit, diris illos deuouens, hoc se statuisse in animo affirmns, vt illos cogeret, humanis vesci carnibus.

Neque etiam ratam illam deditionem habuisset, ni suis precibus mater, & cæteri consiliarii illum quasi coegissent, addentes ni hoc faceret, Polonicum negotium, & electionis confirmationem interturbari, Polonos hāc tyranni crudelitatem in peiorem partem rapere, & occásionem redeundi in Poloniam, infectato, inde posse capere.

Hac vnica ratione permotus tyrannus, (Deo sic cogente illum, vt suos eriperet é mortis faucibus) deditionem probauit, & Chirographo ratam habuit. Nunc tenes qua ratione & quibus intermediis, Sācerranos Deus eripuit. Neque dubium est eosdem Polonos adnentantes, Andicum impulisse vt dimisso exercitu qui Rupellam cingebat, de pace etiam ageret, & inuitus Rupella-

nos magno leuaret onere.

Hist. Admiranda sunt Dei opera: quod si quis sibi ponat ob oculos obsidiones vrbium Rupellæ, Sancerræ, & Sommeriæ, illarúmque exitum, facile erit agnoscere, Deum innocentiam suorum in medium protulisse, illos eripiendo: contrà autem Ecclesiæ hostes suæ perfidiæ & crudelitatis pœnas dedisse, illis enim male acta vita, & scelerum conscientia animum debilitabat, ita vt contracto, & consternato animo vrbes oppugnarent. Sæpe enim vidimus vrbes munitissimas minore negotio expugnari.

Deus itaque suis adfuit in tempore, licet nullis à vicinis, aut sociis firmati & adiuti fuerint auxiliis: contrà autem hostibus vndique auxilia captantibus, maior fuit illata clades, quam antehac vnquam.

Cum ego apud me illa perpendo, spem mihi faciunt, fore vt quemadmodum hucusque Dominus sua bonitate suis opitulatus est, ita olim palam & nobis intuëtibus sanguinem effusum vindicabit, & suppetias feret, maiores multò quam speramus: vt tandem sine timore è manu hostium liberati, illum toto vitæ nostræ curriculo colamus.

Neq; Dei solùm promissiones me in spem impellunt, sed ab illis etiam quæ experti sumus inducor in tantam spem, vt iam videre videar diem illum, quo Deus impios & infideles præcipites dabit, suos erigendo, vt liberè cultui diuino incumbant.

Huius rei magnum iam dedit documẽtum Dominus, euocatis Polonis è lõginquo, qui liberè & strenuè patrocinium suorum susciperent, ea tempestate, qua ex amicis aut vicinis nullus erat, qui nos agnosceret, aut qui auderet piorum causam suscipere, tanta erat in Gallia omniũ rerum vicissitudo. Sed perge quæso legatorum Poloniæ gesta mihi narrare ordine.

Pol. Neq; illa quæ intellexi te celare cupio, Cæterum Sancerrano negotio ita vti memorani confecto, Regina

Tyranni

Tyranni mater Polonis rem aperit, & vrget filiorũ nomine, vt legationis causam præcipuã aperiant: cũ tyrannus nihil haberet antiquius, quã totum illud negotium peragere. Poloni magno perfusi gaudio quod Saucetranis bene esse credidissent, cætera ad legationem pertinentia exponere Tyranno parant. Verùm collatis inter se edicto Regio, & articulis à legatis Gallicis concessis Tyranni nomine, cùm hæc inter se multum differre animaduerterent: in eo præsertim, quod ad quæstionem trucidationum & homicidarũ suppliciũ pertinet, quod ne recordari quidẽ edicto licet. Statuunt de hac re Tyrannũ adire, ad quem se conferunt, & pacto instant, vt Tyrannus datam à legatis fidem suo nomine exoluat.

His responsum dat Tyrannus, se nihil horum promisisse, neque legatis mandasse vt promitterent: Poloni autem obstupefacti, Episcopũ Valẽtiæ qui aderat interpellant, vt promissis stet, etiã monent, vt chirographum agnoscat, ille fatetur quidẽ se articulis subscripsisse, Regis nomine, sed nulla hac de re accepta prouincia, iniussum feciſſe, vt facilius electionem persuaderet.

Hist. O hominem loris dignum, qui perfidia & periurio Polonis imposuerit!

Pol. Illa omnia illi obiecta sunt in os Tyranni, à Poloniæ legatis, qui tunc à Tyranno se subduxerunt.

Hist. Non mirum est Tyrannũ voluisse autoritatem Episcopi defugere, alioquin oportuisset in seipsũ, in matrem, fratrem, & alios huius consilii participes, ferre sententiã, & crimina horrenda in se suscipere, qualia à Caino primo homicida non fuere patrata.

Pol. Nihil verius. Itaq; re perpensa, crimen in alium transfert, & à se conatur depellere. Si quis autem voluerit rem serio expendere, & artes Reginæ matris, Tyranni, & Episcopi animaduertere, facilè erit agnoscere, nihil egisse cornutum Episcopum Tyranno inscio, tametsi illius acta irrita faceret.

In eo enim congruunt, vt dolis & mendacio omnibus

fucum faciant, vænalem habentes cõscientiam, (qualem nuper habuit Pybracus in sua epistola cuius hoc est initium, ornatissimi) neque illos pudet, ista de tyranno prædicare, illum nempe Regem Christianissimum, magna clementia, & humanitate præditum, paci incumbentem, & ita cædes abhorrentem, vt iusserit quæstionem haberi cædium, vt in reos tanti facinoris animaduertatur. Nunc autem re per se cognita, cum Polonis non sit integrum electionem reuocare in dubium (licet perspicue agnoscant, cædes & trucidationes Regis iussu, & imperio factas) nunc (inquam) ne tanti pudeat sceleris, neve de seipso sumat sumat supplicium, mutat sententiam, & impudentissimè tãquam perditæ frontis sicarius pernegat. De reliquis insuper clausulis, quibus sese Polonis sacramento obstrinxit, si cum Tyranni edicto conferantur, facile quiuis iudicabit, nihil ab Episcopo, nisi ex diserto eius mandato & iussu pactum & transactum fuisse; eam quippe fuisse Tyranni consilii mentem comperiet, id nostris scripto & verbo tenus concedere voluisse (eos sese hac ratione infantium more nuce sedaturum credentis) At nequis Polonos miseræ huius & exiguæ relaxationis autores fuisse suspicaretur, maturè Tyrannus ante corũ aduentum edictum, quo liberam cuiq; erspirandi potestatem facere videtur, promulgare occupat.

Vt autem ad Polonos redeamus, paucis interiectis diebus, cum hoc pacto eluſi, ad sui Regni negotia perficiẽda aggressi fuissent, accepto ab Duce Andico iureiurando, quo sanctè iurabat, sese nihil vnquam cõtra Poloniæ leges nec re, nec verbo quidem moliturũ, quinimo ex earum præscripto sese boni Regis, ac Principis officio perfuncturum: poscebant ad hæc, vt fidem daret de quietos Polonos, vnumquenque ex suæ religionis siue reformatæ, siue Papisticæ, siue aliæ id genus ibi receptu institutoliberè viuentem conseruaturum.

Cum vero huic capiti ægrè annuere videretur, excipiunt illico legati, hoc ergo secum ipse certò statueret, se ma

se nunquam Polonorum Regem esse posse, eos quippe Tyranni imperium nunquam perlaturos, qui conscientiis vim facere, aut qui religionis zelū falsò simulans pacem publicam, quam apprimè fouere ipsi cupiunt, dissoluere tentet: adeóq; hoc vrgent, vt conditionem Andicus interposito tandem iureiurando recipere cogeretur.

Hist. O infœlicem Heroem! Vereor nimirū ne quod conscientiæ vulnus inflixerit, ita repentè religiosus numinis cultor euasit. Papæ! Quid hoc zeli est? Verum enimuero hoc affirmare audeo, etiamsi conceptis hisce verbis iurare rogatus fuisset, se dæmonū cultui toto vitæ curriculo deditum fore, adeo libenter & ex animo id fusceturum fuisse, quàm verè id reipsa præstare tota eius vita testatur, potius quàm repulsam ferret, ac spe tam opulenti Regni potiūdi priuaretur. Cæterum inde facilè colligere licet, quodnā sit Valesianæ illius domus erga pietatem & religionem studium. Bona Poloniæ pars, vt satis notū est, Anabaptistis & Arrianis, Do. nostri Iesu Christi iuratis hostibus plena est: ac nihilominus tamen pius ille vir & religiosus eos sartos tectos se conseruaturum pollicetur: ibi etiam Dei beneficio non exiguus est eorū numerus, qui eandem quàm nos religionem profitentur, contra eos etiā se nihil tentaturum, sed pacatos relicturum etiā affirmat. Benè actum sanè, etiamsi id inuitus faciat: gaudeo tamen ac Deo gratias ago. Sed bone Deus, quid hoc monstri est? suæ gentis ac nationis homines eiusdem fidei & confessionis, assiduis Deum pro eius salute precibus interpellantes cōmuni vsura lucis frui non sinere? Non possent apertius sese Dei nulla cura, nec reuerentia tangi, quàm ex hac tam diuersa & dissimili agendi ratione significare: ex qua satis supérque probant, quod & faciunt ex toto reliquo viuendi more, se id tantum amplecti & laudare quod ad eorum delicias & libidines fouendas, & ad eorum amplitudinem & autoritatem augendam facere existimant, religione duntaxat, vt ita dicam, tanquam status politici lena, & integumēto ad

ſuam immanem crudelitatem, & flagitia occultãda fœdè abutentes, in eúmque ſolum finem illius curam, & obſeruantiam præſe ferentes.

Pol. Ita ſeſe res habet. Sed vt pergamus, his promiſſis ac fide accepta Poloni legati, ſperantes ac perſuaſi, ſe vt iis velit nolit ſtet ac patriæ legum fræno coërceatur effecturos, cum tamen æquo animo & quieto ferre non poſſent, quod viderent Galliã tam miſerè vexari, & indignis modis tractari ab iis, quorũ de numero ipſi ſibi Regẽ delegerãt, ſupplicẽ libellũ omni diuinarũ & humanarum perſuaſionũ genere ornatum ac refertum, in quo copioſè de rationibus quibus cõmodè firma pax ſtabiliri poſſit diſſerunt, proponunt: cõſcriptúmque propriis ſingulorũ ſignis appoſitis Regi ſuo, vt eum Tyranno offerat, tradunt. Sed vt audio Metas omnes remittuntur, eóq; reſponſum differtur: quò Tyrannus cum ſuis aulicis, fratrẽ deducendi gratia properabat, qui quidem in exilium, in quo eum Deus è re & maximo omnium noſtrùm bono relegauit, ibat. Faxit Deus Optim. Maxim. vt boni ac pii illi viri, tot tantiſque commodis & proſpero rerũ ſucceſſu perfruantur, quãta nos detrimenta, calamitates & infortunia ſub hac Tyrannorum familia pertulimus.

Hiſt. Faxit vtinam pro ſua clemẽtia & bonitate: equidem eos vel minimum noſtris malis & ærumnis affici moleſtiſſimè ferrem. Age verò an hæc omnia ſunt quæ toto tuo illo itinere didiciſti?

Pol. Feré omnia: inſigne tamen adhuc reſtat facinus, quod mihi narratum eſt, tuæ vt ſpero hiſtoriæ Deo iuuante ſatis accommodum, quo magis magiſque honeſtæ noſtrorum Valeſiorum actiones innoteſcant.

Hiſt. Profer obſecro. Nec me ſilentio prætermiſſurũ metue. Merentur ſiquidem præclaræ eorum res geſtæ, vt etiam ante extremum diem præter hiſtoricorum conſuetudinem tam diſſolutæ eorum vitæ turpitudo palam edatur ac diuulgetur.

Pol. Rectè tu quidem: at proh dolor pudendum & lugendum

gendum, vbi omnes ad vim, ad arma, ad incendium conclamare deberent, contra perfidos hos ac detestabiles proditores, adeo tamen molles & effœminatos inueniri nonnullos, qui eos nisi hisce honorificis, pietatis, humanitatis, & maiestati Christianiss. encomiis compellare audeant, licet agnoscant nullum magis perfidum esse quàm hocce genus hominum.

Hist. Nunquā mihi persuadebo virum sincerum atq; integrum vllam illis pietatis, vel humanitatis scintillā attribuere posse, cum contrà norit, quàm barbari sint eiusmodi homines. Quod ad Christianiss. titulum attinet, valere iussa omni assentatione in Archiantichristianiss. merito immutari debet, vt suis rebus conueniant nomina.

Pol. Id quidem fieri deberet: iam verò certare ausim (præter impuros eorum parasitos aulæ assecłas, qui quoniam eorum egent opera ad eos sibi quærunt aditum, vt eorum gratiam venari possint, quibus quidē nulla est religio has adeo sanctas voces prophanare) non defuturos etiam ex illustriss. Germaniæ Principibus aliquos, qui Tyranni fratrem lentis consultò itineribus in Poloniam contēdentem, iisdem elogiis ornare, cúmque adeo hilari & amico vultu, quàm facerent virum & vitæ honestate, & pietate illustrem, excipere non erubescant. Si quem ob leue crimē, vel solam (vt ita dicam) suspicionē ab Imperii Camera proscriptū, ab aliquo Principe hospitio suscipi contigerit, in eum Principem, totum Imperium insurget ac concitabitur. Hi verò qui coram Deo, atque hominibus manifestæ, atque execrandæ proditionis propriis confessionibus patefacti, & damnati sunt, quibus omnia iura diuina, humana violare iocus est, quibus cum omnes Imperii Principes iusto & capitali odio, ob tot tùm ab eis, tùm ab eorū patribus illatas iniurias, & celebres imperii vrbes sūma perfidia occupatas dissidere deberēt, in honore & pretio habētur. Quid ita? quoniā potentes, & magnæ autoritatis sūt proditores. O Deus immortalis! in quā ætatē, in quæ tēpora incidim'!

Hist. Ignoras scilicet latâ ab celebri prouerbio sententiam. Dat veniam Coruis, vexat censura Columbas? Quin imò, proh dolor! Verendum est, nequis apostatarum, quos illi auro, & largitionibus corruptos magno numero expeditos habent, sycophãtiis dementatus in eandem cum eo fœderis societatem venire non renuat. Sed ne quæso longius in hoc argumenti genere progrediatur oratio. Ei vir dexteram osculabitur, quàm in cineres redactam exoptaret: eos ille inuiset, quos vermium escã votis omnibus expetereat. Esto: suo ipsi periculo viderint, quàm benè cedet, nisi ansam, quam eis Deus porrigit, seduli arripiant. Perge verò, ac quæ dicẽda restãt, ede.

Pol. Cupio equidem: Postquam Nemausi per aliquot dies, propter valetudinem commoratus sum, quo ad nos crebri nũtii quotidie, vt audiuisti, perferebãtur, cũ pacis cõsilia agitari intelligerẽ, legatósq; Polonos reformatæ religionis ater iam in Galliã aggressos, Lutetiam ex fratrum consilio, vbi tum erat aula Tyranni, me contuli, vt illius, suorúmq; aulicorum gestum habitúmq; à Rupellanæ obsidionis reditu contemplarer. Quò cum appulissem circa finem mensis Iulii, reperto edictũ, illud vanissimum & ineptissimũ cuius ante mentionem feci, iam quidem fabricatum, ita tamen, vt etsi miserè, & perditè causæ nostræ faueat malisq; medeatur, præ pudore tamẽ Lutetiæ, nec in senatu, nec in ipsa vrbe vix auderent promulgare: quòd vererentur, ne boni illi catholici ciues, ac mercatores Parisiẽses offenderentur, néve aliis ridendi argumentum, ob ærarium & publicum & priuatum frustra, & impiè exhaustum præberent. Interea in aulam redierant egregii illi nostri expugnatores, ac Pyrgopolynices, minimè quidem omnes, minimè inquã omnes, vt credere fas est: sed ii duntaxat, qui vim atq; impetũ hostium effugere, ac declinare potuerant, de nostris nimirũ aulicis verba facio. Ibi tres reges, vt vulgò vocãtur, cõspicio. Tyrannũ, Poloniæ Regẽ, ac tertiũ Nauarrenũ. Qui quidẽ pro facta pace, ac sui conseruatione, Deo gratias agendi loco,

di loco, eũ assiduis maledictis proscindere, atq; ad iram impura & impudica sua lasciuia, & quauis Sardanapalica fœtidiore, prouocare nõ cessabant. Certior factus sum, strenuos hos Reges, ac eximios rerũ dominos imperasse in quodã eorũ solenni cõuiuio, vt mulieres toto corpore nudæ mensæ ministrarẽt, quibus peracto cõuiuio pudendorũ pilos facibus incẽsis exurũt: deinde cũ admodum soliciti essent quibus voluptatũ illecebris reliquã noctẽ transigerent, Nautuillito vrbis Præfecto, quẽ Preuotiũ Parisiensem vulgò appellãt, significari, ac mãdari iubẽt, vt comessationem instruat, mox se apud illum comessaturos: nec verba dant, continuò effectus verba sequitur nequicquã licet reluctante, & iustis ad declinationem allatis excusationibus renitente Præfecto. Cõpotant, comessantur, bacchantur. Tandem verò pro symbolo, totã hospitis argenteã supellectilem, scrinio, & cistis perfractis & lustratis sancti illi Reges, cum suo satellitio diripiunt, & expilãt. Rumórq; inualuit per totam vrbem, vltra ad 50. millia librarum Gallicarum prædatos fuisse: ac passim in ore omnium ista ferebantur. Melius cum incauto illo & improuiso actum esset, si Regis Poloniæ suauiũ cor & animam Castrinouanã (hoc erat scorti nomen) vxorem duxisset, quàm vltrò oblatas à Rege Polon. nuptias respuere. Præstitisset imprudẽtem illum, Nautuilletũ suum arcem & agrum Duci Guisio rogatum vendidisse, quàm sese prædoni tantæ potentiæ, & autoritatis prædã exponere. Deniq; mihi renuntiatum est, craslina die primum curiæ Parisiensis Præsidem Tyrannum accessisse, ac indicasse totã ciuitatem ob superioris noctis latrocinium conciratã esse. Quinetiam, addebat, obmurmurat prophanum & imperitum vulgus, id facinus te annuente, præsente, & iubente animi oblectandi gratia patratum fuisse. Pernegat illico Tyrannus ac dira Dei sanguinis pro more solito execratione falsissimũ esse commentum asserit, mentiríq; eos omnes qui hæc spargant. Hoc respõso lætus præses. quæstionem ergo decernam

excipit, vt in reos & autores ex legibus animaduertatur. Cui Tyrannus, minimè vero oleum & operam perdes. Porrò intelligat Nantuilletus, si iniuriam persequatur rem illi fore cum aduersario infinitis partibus se potētiore, & superiore. Hæc sunt quæ de hoc præclaro facinore verissimè deprehendi. Resciui præterea, certo alio die à Regibus certamē rei Venereæ cōstitutū, & præmia proposita duodecim suorū aulicorum præstantioribus cum totidē festiuioribus, iisdémque lectioribus mulierculis Parisiensibus: ad hocq; melius videndū spectaculū, duodecim lectulos nullis cinctos velis in quadam aula sterni iussos: ibi in cōspectu Regum in suam instar canū quisq; insiliens: socium ad certamen scortatorium impudentissimè prouocabat.

Hist. Proh Dei atq; hominū fidē! quæ prodigia mihi narras! equidem affirmare ausim Neronis, Caligulæ, Heliogabali infamiā ab hoṭū turpitudine lōgissimè abesse.

Pol. Porrò attende. Didici insuper Tyrannum binas ad fratrem Poloniæ Regē Rupellanæ obsidionis tēpore literas cū hisce mādatis dedisse, daret operam vt Molæo nobili Alenconii Ducis apprimè caro, & familiari, laqueo gula frangeretur.

Hist. Noui hominem. Cur id vero? Nonne Molæus Pontificiam religionem amplectitur, imo etiam inter saltatores aulicos, primas tenere dicitur?

Pol. Verum id quidē: ac quicquid tādem sit, ita tamen fieri mandauit Tyrannus, licet frater nihil aliud, quàm Molæo literas cōmunicari curariti, vt in posterum suis ipse rebus melius quàm antea consuleret.

Hist. An prorsus ignoratur occasio, quæ Tyrannum ad id impulit?

Pol. Hanc vnicā fuisse ferunt, Zelotypiā scil. qua laborabat, quòd illi Molæi paulo liberior cū Principe quādi aulica cōsuetudo suspecta esset. Ad hæc intellexi, hac eadem cōmotum occasione tyrannum quòd videret, Molæum à fratre nō fuisse peremptū. nocte quadā cōsilium secum

secũ de illo in sua aula, quò Molæus è castris dimisso ante Rupellam exercitu redierat, enecando iniisse: atque ita negotium aggreditur. Aula tunc temporis in arce Lupara confederat. Molæum igitur in Ducissæ Niuernensium cubiculo conspicatus, ad se confestim Ducem Guisium, ac delectos alios sex Nobiles conuocat, secum ad iungit, imperat, vt eum quem iusserit sine vlla mora laqueis vnicuique distributis trucident. Hoc apparatu Tyrannus cereolum incensum ipsemet gestans progreditur, socios carnifices in ipso exitu cubiculi in excubiis collocat. ea via qua Molæo ad Ducis Alenconii heri sui cubiculum erat transeundum: sed infœlici adolescenti pro sperè tunc successit, quòd ad herum sese recipiendi loco, ad iuniorem Principem Condæam inuisendam descenderit, prorsus ignarus imminentis periculi, ex quo non alia ratione, quam in inferiorem arcis partem descendendo, non autem ad herum suum, quod expectabant, ascendendo, euadere poterat.

Hist. Væ misero illi adolescenti, nisi maturè ab insidiis Tyranni sibi caueat.

Pol. Caueat sibi quantum voluerit: actum tamen est de illo, nisi Bodillii factum imitetur. Sæuus enim Tyrānus nemini mortalium ne lepidis quidem illis aulæ deliciis minimùm irritatus ignoscit: huiusce rei exẽplum tibi fortassis adhuc incognitum proferam.

Hist. Haud grauatè audiam.

Pol. Bona pars hominũ postremæ huius cõspirationis primordia & fundamenta ignorat, sed hoc meo iudicio non parum ad ea detegenda & patefacienda proderit. Audiuisti Lignerolliũ dum Blaiis esset aula interfectũ fuisse, rumoremq; disseminatum, id Andico iubente factũ, quòd Tyranno nescio quas tabellas ex Hispania ad Ducem Andicum missas, in quibus arcana quædam inter eum & Hispanum consilia agitabantur, indicasset.

Alii verò Villequierium duntaxat autorem existimãt, qui ob nouas inimicitias amicis stipatus Lignerollii

sinũ & pectus perscrutari sica occuparat. Sed hæc certa fuit eius necis occasio, quam quidem ab aulicis quibusdã proceribus, qui me Pontificiæ adhuc religioni deditum credebant, accepi. Tyrannus, eiusq; mater impense in votis habebant Amiralium è medio tollendi, ac reliquos omnes reformatam religionẽ in Gallia profitẽtes radicitus extinguendi. Cum ergo ab edicto pacificatorio anni 1570. inter sibi addictiores suæ farinæ aulicos quẽpiam perueſtigassent, cui & acumen ingenii, & mala mens atq; animus non deesſent, ad consilium callidum excogitandum, quo cautè, & sinè strepitu votorum compotes fieri possent, quandoquidẽ aperta vi & marte nihil promouissent, certò persuasi neminẽ ad flagitiũ aliquod audẽdum & moliendum magis paratũ atq; alacrem, nec cui tutius sua consilia fidere quàm Biragium Italum sigilli custodem & Cancellarii vices gerentem, qui quidẽ propter insignem, & inauditã malitiam quã imis alit præcordiis ad omne nefas & scelus, est acerrimus ac vigilantissimus: cæterum sine sensu, sine sapore, clinguem, tardum, inhumanum, stipitem Aethiopem, ac, vt inquit ille, modo abreptum de grege vænalium diceres. Cum eum igitur clam ad se accersiuissent, ei mentem ac sententiam aperiunt: nominatim iniungunt, vt totus in hoc negotio incũbat, & inuigilet, efficiatq; sua inuentione, vt tãdem optatam metam contingant. Biragius cum sibi tantum honorem deferri, séq; in tam arduo negotio reliquis suæ gentis hominibus præferri videt, exultans, daturum se operam polliceatur, vt res ex eorum animi sententia succedat, ac conficiatur. Nec dubium est, vt hic obiter dicam, quin ab eo tempore sibi Cancellarii dignitatem vendicaret, quæ etiam postea in tãti officii remunerationem donatus est. Elabuntur aliquot dies, quibus vt facilè coniicis fœdo ac sordido illi mercenario satis otii fuit, ad meditandas, & secum ruminãdas omnis generis technas, quas magis aptas & idoneas fore iudicabat.

Tãdẽ hæc illi præ cæteris cõmoda, & acuta visa est. Tẽ

tandam

tandã esse rationẽ contrahẽdi, quoquo modo id fieri pos set connubii tyranni sororis cum Principe Nauarreno, vt hac esca, atque his tanquam illecebris religionis cultores, Amiralius, ac reliqui religiosi nobiles in aulam attra herentur, atque ita in aulæ potestate haberentur. Ad huius autem negotii faciliorem expeditionem, nullo modo simulationibus, promissis, muneribus, largitionibus, ac cæteris eiusmodi tendiculis, & fucis aulicis parcendum esse, donec Lutetiæ intra mœnia, atque vrbis tecta, quo idcirco aula etiam cum opus esset, migraret, irretiti tene rentur.'

Ibi perhumaniter exceptis, ac omni comitate, & blanditiis delinitis animi recreandi gratia nuptiarum tempore erigendum esse ludicrum castellum, & munitionem artificiosè constructam, & omni propugnaculo more belli co instructam, vel in prato, quod Clericorum vocant, vel in Tegulariis: hoc colore, vt sese mutuo aulici, alii munitionem oppugnando, alii propugnando exercentes ad matronarum aulicarum oblectationem spectaculũ præberent. Adducendum esse Amiralium, vt oppugnantium dux esset, eorumque omnium ex religiosorum qui tum in aula essent, numero, qui sine dubio ingens futurus erat.

Propugnantes verò ex aulicorum delectu fidelissimi ac confidentissimi quique forent, tum tyranni milites, tum militum præfecti: quorum duces rei gerendæ conscii, leuibus initio præliis vltrò citróque de industria habitis, re pentè demum signo opportunè dato pluribus glandibus sclopetis oneratis, in Amiralium, ac suos seriò, & intrepi dè eruptionem facerent, tela emitterẽt, cæderent, ac denique interficerent. Eo, sociisque peremptis, facilè reliquos Hugonotos quocunque se recepissent, ac latitarent, deletum iri. Re cõfecta non defuturas artes, nec speciosa argumenta, non defuturum nouæ coniurationis recens deprehensæ figmentum, cuius obnoxii conuincantur, vt tota hæc tandem in eos cudatur faba.

Hæc cũm animo voluta ſſet,& tandem apud ſe ſtatuiſſet Biragius,denuo tyrannum,eiuſque matrem adit, dolum ac technam explicat,quibus cum ſatis arriderent omnia,ad optatum finem facilè perduci poſſe iudicantes, examinatis quibuſdam de forma, de ſubiecto,déque exquẽdi modo cum Biragio difficultatibus,concludunt tandem his inſiſtendum eſſe veſtigiis,ipſo inſuper id ſuadente ac comprobante Retio Comite, cui totum negotium patefaciunt. Connubii ſtatim ratio ſtruitur, eáque omnia quæ noſti,diligenter obeuntur, quò noſtri in aulam allicerentur.Paucis ab hinc diebus, cum huius conſilii participem fratrem Andicum facere vellet tyrannus, illum ad ſe,vt propter ſe dormiat,inuitat,vti ſolet,cum de rebus arduis cum illo pertractare inſtituit: communicato negotio,illum adiurare, & polliceri adigit, nemini ſe vnquam prorſus verba facturũ: cæterùm forti ſit animo fœlicem certò ſe ſperare exitum. Dux Andicus cum hanc cõiurationem audaciſſimam,ac difficilimam autumaret, vt de ea tandem cum Lignerollio ſuo confetat,ſeſe continere non poteſt, accepto prius ab eo taciti & altiſſimi ſilentii iureiurãdo,quò Lignerollius, qui inter cæteros intimus erat eius conſiliis, re apud ſe diligenter excuſſa & deliberata,ingenuè,& liberè ſuam ei ſententiam,ac iudicium de re facilius obeũda exponeret. Sed cum Lignerollius nihil ad proditionem tam aſtutè & dextrè fabricatam & conceptam requireret, facilèque eam effectã dari poſſe affirmaret,nullo præterea deinceps eius ſermone habito,occultatur eorum mens,ac ſilet quiſque, donec quodã die ſenior Bricmaldus,qui cũ Tellignio ac reliquis,reformatæ religionis negotia in aula procurabat, cum tyrannũ conueniſſet,ac cõqueſtus eſſet de Fidelium ſtrage non ita pridem poſt edictum pacificatorium apud Aulercos Rothomagi edita,vtque ſontes ſupplicio afficerentur efflagitaret,cum eum frigidum, & reſtitantem cerneret,liberè tyrãnum ita eſt allocutus, Periculum fore, niſi in ſeditioſos illos exempla fiãt, ne Pontificii inde audaciores facti

facti maiora aggredi adiiciant: quorum insolentiam cum ferre non possint religiosi ad arma recurrere cogantur si sibi legũ præsidia denegari videant: vnde adeo funestũ, quàm vnquam antea, exoriri bellum necesse esset.

Hac oratione excitatus tyrãnus, Mõmorencio dat prouinciam Rothomagum proficiscẽdi, ibique omnia iustis & conuenientibus remediis componendi. Interea cum è tyranni conspectu secessisset Bricomaldus, omnes etiam è cubiculo exire iubentur, vt pro libidine Deũ horrẽdis execrationibus detestari, ac secum ipse solus stomachari posset tyrãnus. Tum intromissus Lignerollius ob nescio quid negotii, illum ita furentẽ cõspicatus, irarũ causas humiliter scisciari audet, facile cerni posse illius maiestatẽ acriter esse perturbatã. Cui tyrãnus, Dei ventrẽ, mortem sanguinẽ tertio quoque verbo detestãs. An mihi nõ moueret stomachum os illud impudens, spurci illius pædera stis (sic enim vt plurimũ viros etiã graues atque integros appellare solet) oratio, qui mihi huc insultatũ aduenit, ac quodãmodo bellum indicit, nisi de Aulercis pœnas sumi decernam? Hui: subijcit Lignerollius, Rex potentissime noli te ideo cruciare, expectanda est munitionis oppugnatio. Hoc verbũ Lignerollio excidit, tyranni animum leniẽdi gratia, vtque subolfaciendi illi ansam præberet se consilii etiam esse conscium, ex eo se tam hebetem esse quàm sibi solers videbatur, prodens. Quo audito, tyrannus ne sua paterent cõsilia veritus, quam, inquit, mortem Dei deierans, mihi munitionẽ narras! Nescio quid loqueris. Munitionem quam nosti, excipit Lignerollius, dierum nuptiarum. Plura quam voluisset tyrannus audiens, aliud ex alio fingens Lignerollium dimittit, qui nimis sero sensit fortassis, & expertus est, vt præstitisset digito compescuisse labellum.

Confestim tyrannus accitam matrem interrogat, num tam benè cælandum consilium retexisset, de eo iam nescio quid (Dei sanguinem & mortem pro more execrans) mussitari, matrẽ verò innoxiam esse & nemini

quidquam indicasse comperiens, ad se Comitem Rettium accersiri iubet. Quem exabrupto, & nihil dum tale suspicantem ita excipit: Ganeo vilissime, & illiberalissime, te ego (sanguinem Dei detestans, deierandi enim & blasphemandi consuetudine si quis alius, mirum in modum delectatur tyrannus) mendice inertissime ex illiberali & infimo homũcione in altum amplitudinis gradum euexi, sed tibi adeo cristas resecabo, adeo humilem atque abiectum reddam, vt neque humi reptans conspiciaris.

Tune ergò plenus rimarum hac illac perfluens, mea consilia palàm facere ausus es pædico impurissime? Me rapiant mille cacodæmonum cohortes &c. Nequam ille cinædus Peronius, vbi se ita comiter acceptum & salutatum videt, exanimis ac semimortuus, cum sese vix tandem ex magno timore recreasset, tyranno respondet. Imo Rex inuictissi. ne quidem oris hac de re aperiundi mihi vnquam in mentem venit opinio: hoc tibi ego per omnes Deos ac tuam maiestatem affirmo & iuro, si secus deprehenderis, me infœlici arbori suspendi iubeto, quod ego te supplex oro atque obsecro. Cum nihil contra arguere posset tyrannus, ad fratrem rectà contendit, an cuiquã de hoc negotio verba fecerit, rogat. Cui Andicus veniam deprecatus, nõ inficiabor inquit, solo me Lignerollio verba fecisse, quod illum sagacem & acris ingenii virum, ac taciturnum iudicarem. Hoc equidem præcepi, inquit tyrannus, haud mihi rem gratam fecisti, posthac tibi adeo facilè mea consilia credere cauebo. Cæterum Lignerollio pereundum est, fatuus est, & insulsus nebulo. scito enim nolle me, vt os cuiquam alii vnquam posthac hac de re aperiat. Dux Andicus suo, & Lignerollii agnito errore, fratrísque metuens inflãmatum animum obmutuit, nec se quicquam morat i profitetur.

Ab eo tempore tyrannus vocatum ad se equitem, fratrem nothum iubet, vt Villequierium iuniorem adeat ac suo nomine significet, se illum pro nequam, imbelli, ac

ignã

ignauo habiturum, nisi iniuriã ab Lignerollio illatam vlciſci conetur, eique ad hanc rem ſex ſeptémve delectos ſtrenuos & intrepidos ſtipatores ſocios adminiſtret. Eques hoc munus diligenter obiit, Villequierio hoc modo armato, ſtipato ac vltionis percupido addit animos. At Villequierius obuium Lignerollium adoriri vt petebat tyrannus non audet, ei quippe frigidus per oſſa cucurrit tremor, riguítque in pectore ſanguis.

Quod cum reſciuiſſet tyrannus eum ad ſe vocat, innumeriſque in eum iactis contumeliis & ſcommatibus, imperat, ne vnquam ante ſuum conſpectum prodeat, niſi iam Lignerollium interficiat, ei enſem validum & acutiſſimum dat, illúmque ipſemet proprio thorace æneo induit, denuo Equiti mandat vt firmiori quàm antea virorum præſidio ſtipatus Villequierius Lignerollium bene cæſum vita priuet, nec faxit aliter: hoc idem ſociis ſuo nomine denunciet. Hoc accepto mandato nouus rurſus redintegratur conatus. Comes Mansfeldius Germanus is qui Pontificiæ religionis partibus ſtudet, Comitis Mongõmerii frater cui S. Ioannis nomen eſt, ac nonnulli præterea nobiles ſeſe Comites ſeſe Villequierio addi patiũtur, ſuamque ei nauant operam.

Hoc apparatu & comitatu Villequierius confirmatus quærit miſerum Lignerollium, in quẽ obuium tepente irruit, & vulnus infligit ac ille tandem miſerrimus, pectus gladii ictu transfixus cecidit. Atque hic exitus fuit Lignerolii Adonidis aulici, quo nemo apud aulicos gratioſior habebatur.

Quod ad Procancellarii Biragii fabricatam machinationem attinet. licet ſæpius tentata fuerit, erectúmque nuper hoc tempore caſtellum, tamen quoniam eo pellici non poſſe Amiraltum præſenſerunt, patucóſque inter futuros religioſos nobiles, aliam aggredi viam & rationem oportuit tyrannum, ex conſilio & ſcientia Aumalii Ducis, ac Niuernenſis, qui eius primarii ſunt conſiliarii.

Dum hæc ita geruntur, Dux Guisius veritus ne Amiralius (quem potissimum odio infestissimo & irreconciliabili prosequebatur) è suis manibus euaderet, neve ab aula, prout impensè cupiebat, recederet, sclopetario conducto vulnus, quod nosti, ei infligi curat die Veneris ante illam lanienam. Quo facto, accidit vt denuò instítutum & propositum mutare cogantur, ex re nata & occasionum natura bellum illud suum perfidum & proditorium aduersus bonos viros gerentes, quibus suis aulicis lenociniis, incautis, simplicibus & oscitãtibus oculos perstrinxerant. Hæc sunt quæ in aula veriora & certiora pro ré comperta habui.

Historiog. Facinus istud adeo insigne & indignum est quam vllum aliud eorum, quæ resciuisti. Hinc ergò agnoscant omnes tyrannorum perfidiam, ac discãt aulici, quid ab illis tandem eis expectandum sit.

Poli. Mirum sanè est, vt tot tamque luculentis editis exemplis, cum propriam & imminentem videat quisque perniciem, vix vllum tamen reperias, qui saltem alieno periculo sapere velit: nec ex tanto eorum numero qui tam libenter & auidè tyrannos sectantur, & adorant, vnum inuenias, cui sit mens atque animus id illis dicendi quod Vulpem Leoni belluarum, vt aiunt, regi dixisse ferunt: morbum vt perhibet apologus, in lustro simulabat Leo: cui Vulpes. Te, ô rex, inquit, & sæpius & perlubenter inuiserem, sed me vestigia terrent, Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Historio. Si Amiralius huius mythologiæ probè meminisset, ac Vulpis loquendi modum imitatus fuisset res nostræ essent in meliore loco. Sed verum est dictum illud, Nihil aliud quam balare ouem, quæ quoniam cum lupis vlulare, vocéque fingere nescit, ab eorum faucibus elabi nequit.

Quod attinet ad cæteros aulicos, quid ageres cum miseris illis? qui tyranni thesaurum coruscantem intuentes, quem quidem ex populi sudore, ac bonorum omnium

nium exuuiis corradit & colligit, faſtus illius, & ſuperbæ iactantiæ radios attoniti, & obſtupefacti admirantur, illoque ſplendore illecti, ad eum propius accedentes, non animaduertunt ſeſe ipſos in flammam coniicere, qua eos conſumi neceſſe eſt. Sic imprudenti & temerario Satyro, vt narrant fabulæ, ignem à Prometheo inuentum adeo primùm placuiſſe ferunt, vt illius lumine, & amore raptus oſcula figere, ſéque in eo adurere properarit. Sic papiliones candelæ lucentis candore delectati, ſeſe circumuolitando in illius flammam immittunt, in eaque ipſius ignis alteram vim, qua conficiuntur, experiuntur.

Certiſſimum eſt hoſce Iros, fauoris gratiæque mendicos, incredibiles, ſiquis diligentius attendat, & immenſos labores ærumnáſque perferre, cum die noctéque toti in hoc eſſe cogantur, vt circunſpiciant qua ratione huic obſequantur, ac nihilominus tamẽ ſibi ab eo, ſi à quoquam alio mortalium, cauere poſſint: aures, oculos ſemper intentos & in excubiis habere, vt præuideant vnde ictus vibrabitur, vt detegant inſidias, & ſociorum os faciémque explorent, vt à quo prodantur præſentiant, omnibus arridere, ab omnibus ſibi timere, neminem neque hoſtem apertum, neque certũ amicum habere, exporrecta ſemper fronte, corde verò mœrore confecto incedere, nec hilari vultu, nec triſti tamen eſſe, neq ridere poſſe, nec tamen flere audere.

Polit. Enim verò, vt ingenuè tandem loquar, ſicuti teſte Platone illa fœlix dici meritò poteſt Reſpub. in qua Reges philoſophantur? ſeu quæ à philoſophis regitur: magnóque Dei affecta beneficio quæ Principi ſubiicitur quem legibus parere conſtat, maximè ſi magiſtratus illi muti, leges inquam, in ordinum & ſenatus cuſtodia, vti apud nos fieri aſſueuerat, ne à quoquam violentur permanſerint,

Ita proculdubio infœliciſſimum vitæ genus eſt tyran-

no ſubiici, cui etiamnum nemo ſit à conſiliis de quo, dignum patella operculum, vt eſt in diuerbio, dici nequeat, quem probè ſe gerere nuſquam quiſquam credat, poſteaquam in eius ſitum eſt manu, malè ſe ſemper pro arbitrio erga vnum quemque habere. Quod ſi tales multos in Repub. obortos, quis viderit, quidni illius reipub. conditionem longè omnibus deteriorem iudicabit? Atenim hoc percupidè intelligerem, cur ita cõparatum ſit, vt tot vici, tot pagi, tot ciuitates, tot prouinciæ tandiu tyrannum, ac ſolum quidem, tolerent, qui id tantùm poteſt quod ei conceditur, qui eatenus nocebit, quatenus patiuntur, qui nullam eis iniuriam, niſi quam perferre malunt, quàm propulſare, inferre poteſt.

Hiſtorio. Te verò amice ſuauiſſime, etiam atque etiam rogatum velim, vt mihi hoc, niſi moleſtum ſit, gratificeris, vt ſcilicet iſtud argumentum paulò altius repetas, explanes, ac dilucides. Eſt enim huic tempori valde accommodum tèque in eo optimè verſatum ſentio. Pergè verò: malo equidem inſomnem ducere hanc totam noctem, quàm tantam te hac de re audiendi opportunitatem nactus, prætermittere.

Polit. Atqui perlubenter faciam: quippe iandiu parturio, ac in lucem fœtum edere totámque meam hoc de negotio, ſententiam in medium proferre geſtio. Sed teſtor atque profiteor, me hac de re non vti ſolent religioſi, verba facturum: ſunt illi ſiquidem nimis lenes ac faciles, imo potius ſeruiles. Hac de re igitur ingenuè verba faciam, ſicuti ſolent viri non fucati de iis quæ in ſuum iudicium, atque adeo in communem omnium hominum ſenſum cadunt: vt noſtrates catholici, & vicini, & reliqui omnes Francogalli, quorum conditio deterior eſt quam belluarum, tandem aliquando ſeſe expergefaciant, ſuámque miſeriam ſentientes, & recognoſcentes de remedio omnes ſimul cogitent.

Perabſurdum hoc mihi ſemper videri ſolet, dum expendo ac circunſpicio mille hominum myriades miſerè

ſeruien

seruientes, neque id vero inuitos, aut à vi potentiore subactos facere, sed nescio quomodo, vnius duntaxat solo nomine tanquam præstigiis fascinatos: cuius quidem nec potentiam debent pertimescere, cum solus homo sit: nec mores amare, cum erga eos sit inhumanus. Inferiores viribus homines sæpissime iis qui superiores sunt, morem gerere coguntur: tunc fateor tempori seruiendum esse, neque enim semper potentiores esse licet. Itaque si natio aliqua bello deuicta vni seruire adigitur (vt olim triginta tyrannis Athenienſium ciuitas) non mirum est, si tum seruiat: casus is lugendus est: imò verò lugendum non est, sed miseria æquo est animo ferenda, & sese quisque rebus seruare debet secundis.

Hoc nostræ naturæ innatum est, vt communia amicitiæ officia vitæ nostræ bonam partem possideant: Ratio postulat, vt ametur virtus, erga beneficos grato simus animo, ac sæpe de commodis nostris nonnihil detrahamus, vt honori eorum qui nobis chari sunt & merētur, consulamus. Quamobrem si regionis cuiusdam incolæ virum aliquem insignem nacti, cuius eximiā in eis conseruandis prudentiam, magnámque in eis regendis, & gubernandis solicitudinem experti fuerint: si inquā, deincepa ei sponte, & vltrò sese submittunt, adeoque ei confidunt, vt primatum aliquem deferant (dubito quidē an prudēter fiet illum ex eo loco remouere, vbi rem præclarè gerebat, in eúque promouere, vbi rem fortassis male administrabit) verum proculdubio eorum bonitas & honestas, qui eum in gradum eum euexerunt, ex eo conspicitur, quod nihil mali ab eo metuant, à quo beneficiis fuerunt affecti.

At bone Deus! Quid hoc rei est? Quænam est hæc infelicitas: Quod vitii genus? Aut potius quodnam infœlix vitium? Videre innumeros homines non quidem parere, sed seruire, non gubernari sed tyrannide opprimi: nec vxorem, nec liberos, ne ipsam quidem vitam in propria habere facultate. Stupra, rapinas, crudelitatem perpeti, non castrorum, non barbari exercitus, aduersus quem sangui-

nem, vitámque fortiter effundere decet, ſed vnius duntaxat, non Herculis quidē, vel Sanſonis, ſed puſilli homuncionis, quo in tota gente & natione nemo erit mollior, ignauior, nec effœminatior: non qui vi & armis homines ad imperium cogere poſſit, ſed qui impudicæ mulierculæ ſeruitio totus addictus ſit: id ne verò ignauiā dicemus? eoſque qui ei ſeruiunt, imbelles appellabimus?

Si duo, tres, quatuórve ab vno laceſſiti vim illius atque iniuriam non repellant, id quidem abſurdum videbitur, ac fortaſſis non iniuria fracto eſſe animo arguentur. At ſi centum, ſi mille ab vno quiduis pati intur, nonne ei obſiſtere nolle, non autem non audere dicētur? Neque ignauiæ, ſed incuriæ & contemptui tribuendū eſſe, ſi non centum, non mille homines, ſed centum prouinciæ, mille ciuitates, infinitæ myriades hominū cum vno ſolo manus conſerere detrectent. Quo verò id tandem nomine vocabimus? An ignauiam? an inertiam?

Hoc à natura omnibus vitiis comparatum eſt, vt certas quaſdam habeāt metas, vltra quas trāſgredi nequeāt. Duo vnum metuere poterunt, imo etiam heri poterit, vt à decem vnus reformidetur. At mille, mille myriadas hominum, at mille ciuitates vnius vim, atque impetum nequaquam propulſare! Non hæc quidem eſt ignauia, minimè eouſque progreditur, ſicuti nec ex oppoſito eouſque protenditur fortitudo, vt vir ſolus murum aſcendat, cum acie ſolus confligat, Regnū inuadat, ac in ſuam ditionem redigat. Quod igitur hoc vitii genus & portentū eſt, quod ne ignauiæ quidem appellationē meretur? cui ſatis turpe nomen indi nequit. Conſtituantur vna ex parte quinquaginta armatorum hominum millia, totidē ex aduerſa opponātur: inſtruantur vtrinque acies, ſigno dato concurrant, pro libertate alii retinenda, alii adimenda pugnent: quibus coniicere poſſumus adſcribendam eſſe victoriā? vtros alacriori ſtudio ad pugnā profecturos confidimus? an eos qui pro ſuorum laborum & virtutis præmio libertatis conſeruationem ſperant, an verò eos qui nullum a-

liud

lud pro illatis acceptiſve vulneribus, quàm aliorum ſeruitutem expectant? Ante illorum oculos ſemper anteactæ vitæ verſatur fœlicitas, ac in poſterum ſolitæ quietis & voluptatis expectatio: non adeo afficiuntur iis quæ brevi illo pugnæ tempore ſubeunda ſunt, quàm iis quæ ipſis perpetuo, liberis, ac vniuerſæ poſteritati perferēda erūt.

His verò nihil eſt quod addat animos, quàm exiguus concupiſcentiæ ſtimulus, qui ſtatim ad primum periculum retunditur, nec adeo incenditur concupiſcentiæ æſtus quin, vt veriſimile eſt, minima ſanguinis guttula facilè extingui poſſit. In præliis illis celebribus Milciadis & Themiſt. ante duo millia annorum commiſſis (quorū adhuc recens adeo viget memoria hiſtoriarum beneficio quàm ſi heſterno die facta fuiſſent) quid tam exiguis Græcorum copiis non vires, ſed conſtantiam ac fortitudinem tantam ſuppeditaſſe cenſemus, vt tot nauium impetum ſuſtinerēt, tot gentes in vnum collectas funderent, quàm quod gloria dierum illorum, non tam pugna Græcorum aduerſus Perſas, quàm libertatis de dominatione, & tyrannide, ingenuitatis de immoderata regnandi cupiditate victoria & triumphus fuiſſe videtur? Incredibile dictu eſt, quantam generoſitatem, ſuorum defenſorum animis ingeneret, & excitet libertas.

Quod autem quotidie factitari in Francogallia noſtra cernimus, vt homo ſolus mille ciuitates pro libidine fœdè conculcet, quis vnquam niſi oculatus teſtis, crederet? Id verò ſi tantū in exteris nationibus conſpiceretur, quis non potius commentum, quàm rem veram eſſe arbitraretur? Atqui ſolus homo eſt, ille tyrannus: cum quo dimicare, non opus eſt, ſatis per ſe profligatus eſt, dummodo propriæ ſeruituti non aſſentiantur prouinciæ. Nihil ei adimendum eſt, nihil duntaxat illi eſt ſubminiſtrādum. Ipſemet ergo eſt populus qui ſeſe opprimi ſinit, qui ſeipſum mancipat, ſiquidem cum ſeruitutis & libertatis ei data ſit optio, nuncio libertati remiſſo ſeruitutis iugum eligit: qui ſuo malo & detrimento ſubſcribit, idque potius

sibimet ipse accersit ac persequitur. Si cum aliquo dispendio, & iactura recuperanda esset libertas, non vrgerem: quanquam quid homini charius esse debet, quam sese in naturæ ius vindicare? Verum enimuerò non tantos ab eo spiritus postulo, concedo vt nescio quam miserè viuendi securitatem dubiæ quietè & beatè viuendi spei præferat. Quid? si vt potiatur libertate, ea duntaxat optanda est? si sola voluntate & voto opus est? An vlla erit gens, quæ eam nimis caram & paratu difficilem, vt pote quæ solo desiderio acquiri possit, existimet? quæque voluntati & voto parcat, vt id bonum recuperet, quod pretio etiam sanguinis redimi deberet? Profecto sicuti scintillæ ignicu lus augetur subiecta materia, sed ignis, si ligna non suggerantur, sponte extinguitur. sic etiam tyranni quò magis extorquent, eò magis omnia ad exitium vocant, quò plura eis erogantur. At si nihil eis suppeditetur, si mos non geratur, sine dimicatione, sine ictu, nudi concident.

Generosi homines vt optatum bonum assequãtur periculum non reformidãt, consulti & prudentes labores non fugiunt: qui verò sunt ignauo animo neque mortem oppetere, nec bonum amissum recuperare norunt, hic solum consistunt, vt expetant: aspirãdi facultas & virtus ab eis sua ignauia sublata est. Potiundi quidem voluntas, & desiderium illis à natura insitum permanet. Ac commune hoc quidem votum est tum stultis, tum intelligentibus, tũ forti animo præditis, tum ignauis, vt omnia quæ adepti, beati ac fœlices, sudque sorte contenti effici possint, exoptent: in hoc vno defuisse hominibus natura quodammodo videtur, in expetenda scilicet libertate, quæ tamen adeo pulchrum, & iucundum bonum est, vt ea amissa sensim irrepant omnia mala, si quæ vero bona adhuc remanent, & supersunt ea corrupta & deprauata seruitute omnem venustatem ac saporem simul amittant.

Solam libertatem non expetere homines ideo videtur, quoniam ea, si expeterent, frui liceret: quod po-

est, ac si hoc tantum bonum idcirco parare negligerent, quod paratu nimis facile sit.

O miseri & infœlices populi! ô natio obstinato animo tuam perniciem persequens! Vobis spectantibus ac ferentibus vestrorum fructuum potior, & præstatior pars vi aufertur, in vestris agris prædæ agũtur, diripiuntur domus, ac supellectile paterna, & auita spoliantur: ita viuitis vt nihil vobis proprium vendicare audeatis, imo deinceps maximi commodi & fœlicitatis loco ducetis, si bona vestra, fundos, familias adeóque vitam ipsam, precariò & tanquam conducta possideatis. Hæc verò omnia infortunia, exitia, & vastitates non ab infestis hostibus manant, sed ab hoste quidem, eóque hoste, quem vos adeo attollitis, pro cuius amplitudine vestra capita morti fortiter offerre nõ vetemini. Is qui vobis adeo insolenter dominatur, duabus manibus tantum præditus est, vno corpore, nec quicquam præterea, quàm quiuis plebeius possidet, habet: excepto animo prædatore, ac proditore, eáque autoritate, quam ei vos in vestram pestem conceditis: vnde quæso tot oculos, quibus vos obseruat, & speculatur, sortitus esset, nisi ipsimet suppeditaretis? Vnde tot manus haberet, quibus vos cædit, & vulnerat, nisi ex vobis ipsis depromeret? Pedes verò quibus capita vestra conculcat, vnde nisi ex vestris nactus esset? Quam aliam aduersus vos potestatem, nisi quam vos ei attribuitis, obtinet? Semina vestra terræ committitis, vt vastitatem inferat, ædes supellectile ornare studetis, vt suis rapinis escam suggeratis. Alitis filias vestras vt suam libidinem explere possit. Liberos vestros educatis, vt eos ad sua bella rapiat, ad lanienam ducat, vt iis suarum libidinum ministris abutatur, per eos tanquam satellites suas vindictas vlciscatur. Vestra corpora laboribus defatigatis, ac frangitis, vt tyrannus in deliciarum omni genere molliter delitescat, ac sese in fœdis voluptatibus proluat. Vos vos ipsi debilitatis, vt eum confirmetis, vtq; vos fræno arctiore cõprimat. Ex tot indignis molestiis,

quas ne vix ipsa quidem bruta animalia perferrēt, vos facilè asseretis, si, vt id possitis, non dicam conemini, sed solum in animum inducatis. Nolite amplius seruire, hócq; ratum, & firmū habetote, ecce vobis libertas parta est. Nolo vt commoueatis, aut concutiatis, nolite tantùm fulcire, eúmque magni instar Colossi, cui basis, aç pondere fulcimentum subductum est, corruere, ac comminui videbitis.

Hist. Enimuerò nihil verius, nihil frequentius existit in rebus humanis, quàm quod tu commemoras. Atq; vtinam præclara dicta tua & memorabiles istæ voces, nō abs te temerè iactæ, in frequenti aliquo Gallorum nostrorum, & quidem Catholicorū cœtu, sparsæ essent atque auditæ. Haud equidem dubito, quin eas extēplò promis animis exceptas & auidis auribus arreptas, prosequisque in suam vtilitatem verterēt. Imò spondeo neminem ex illis fore, cui non ista oratio tua vim nouam animis & corporibus insereret. Scio equidem Gallos ex illustri rerum humanarū fastigio in seruitium miserabiliter lapsos, & virtute pridem extincta ita fractos esse atq; sopitos, vt omnem prope libertatis memoriam, omnem seruitutis sensum amiserint: & ex eo facile posse colligi quàm insanabili laborent morbo, quòd ne ipsius quidem mali magnitudinem sentiunt. Sed vtcunq; ista sint, mihi tamen planè persuadeo fore, vt ista oratione tua paulo vberius copiosiúsq; diffusa, tum illustrata & vestita rationibus & exemplis, postremò adiuncta & proposita aliqua præstanti Politici status & Reip. administrādæ forma, qualis apud Maiores nostros constituta erat, cum Statuum autoritas & publici Concilii sapientia vigeret: cuius summam elegātissimè confecit & descripsit in sua Francogallia Hottomanus: mihi, inquam, omnino persuadeo fore vt istis tuis sermonibus excitentur Galli, & somno excitati sublatis cristis, maximóq; alarum plausu, rostro & vnguibus inuolent in oppressores publicæ libertatis. Neque meo iudicio, posset vlla magis idonea ratio ex

tio excogitari ad commouenda Gallorum ſtudia & excitandos animos, vt de reuocandis Maiorum inſtitutis, & reſtituenda ſtatuum autoritate, dignam ſe curam cogitationémq; ſuſcipiant. Tum planè Galliæ noſtræ iucundi Soles diéſque illuceſcerent, & reuuiſcerent priſca ſecula, aureáque illa Aetas, quam è Gallia eiectam ab Tyrannis pluſquam ferrea ſecuta ſunt tempora. Tum, inquam, profligatis ſæuitia, tyrannide, & infamibus prodigiis fœdarum libidinum, quæ in Franciæ Regno & præſertim in Aula domicilíũ poſuere, Pax, libertas, Amicitia poſtliminio redirẽt, & virtutes nobiliſſimæ, læta inter Gallos florente cõcordia. At nunc quid fœdius, quid indignius? tam illuſtrem Gentem, Regnum tam nobile pro libidine ſex aut ſeptem hominum ferri agíque, quorum tamen præſtantiſſimus carnificis opera & laquei pretio vilior eſt. Sed ex te libenter audierim, niſi moleſtum eſt, qua calamitate, quibus vitiis Galli noſtri in deterius lapſi ſint: & quomodò peruicax iſte & inſanus ſeruiẽdi amor tam altè ipſorum viſceribus inſederit, vt dulce libertatis deſiderium obruere, & à natura ipſa inſitus eſſe videatur.

Pol. Niſi me dudum ſomnus opprimeret, copioſe tibi equidem iſtius morbi originem, cauſſam, & materiã exponerem. Sed iam ad multam noctem ſermonem produximus, & oculos tã alto ſopore grauatos habeo, vt quieſcere magis quam loqui libeat. Cras huic ſermoni ſpatium & tempus non deerit. Imò, niſi tibi forte videtur aliter, cenſeo vt hic per otium equos noſtros curemus & reficiamus de via feſſos. Interea curſorem quoque oppe riemur, quem Narbonenſis prouinciæ fratres ad me propediem miſſuri ſunt.

Hiſt. Quem curſorem? num fortaſſe illum noui?

Poli. Spudæus ille eſt: quem tibi iuxta ac mihi notum eſſe exiſtimo.

Pol. Haud prope quiſquam alius mihi melius notus eſt, aut magis familiaris. Haud dubiè nuntia ille nobis afferet.

Pol. Non alia de causa is ad me mittitur: tum ego inde proficiscens ei mandatum dedi, vt hàc transiret, & de me sciscitaretur in hoc ipso diuersorio, vbi nunc sumus.

Hist. Benè factum: & plurimùm lætor. Sed, si ita vis, eum hic vel totum triduum opperiamur.

Pol. Opperiamur. Nunc verò Dominus istud nobis beneficium concedat, vt possimus hac nocte tutò quiescere, tum vt somno & necessaria quiete perfuncti ipsi sanctè iustéque seruiamus, in nomine filii ipsius, Domini nostri Iesu Christi.

Hist. Amen.

Finis secundi Dialogi.

Mendas sic emendato.

Pag.34.perfidium.lege perfidiam.pag.42.penes,leg.pedes:pag.51.Eunt:leg.Eant:pag.52.cerit.leg.cierit:pag.56.habem fiabent.leg.fidem habent.pag.67.nomentu,leg.commentu:pag.83.lin.29.vos leg.nos:lin.vlt.perfeltiane,leg.perfectiore:pag.89.Reip.leg.Resp.pag.95.lin.9.in leg.vi.